R. P. IOANNIS SVRII
E SOCIETATE IESV,

MORATAE POESIS

VOLVMEN SECVNDVM.

M. D. C. XVIII.

CVM PRIVILEGIO.


MORATÆ POESEOS
VOLVMEN. II
AVCTORE
R.P. IOANNE SVRIO
BETHVNIENSI
SOCIETATIS
IESV.
Vt Philomela, vt olor, Morata Poësis ab alto
Inspirata, graues entheat ore sophos.
Calce terit quidquid cœno est sociabile, ranas
Et Pharias, Polypi latiferumq; caput.
Et miraris ei si laurus amica corymbo
Ambiat oda hilarum perpetuetq; caput?
ATREBATI.
REGIACORVM.
TYPIS GVILIELMI
RIVERII.
1617.
Bubo.
Pica.
Plato in Phædro
Fauonius
Coruus.
Aristotel. in Poeticis
Luscinia.
Olor.

REVERENDO

IN CHRISTO DOMINO,

DOMINO

IOANNI DE LOOZ

CHOCQVENSIS MONASTERII

PROPE BETHVNIAM

ANTISTITI MERITISSIMO

SALVTEM.

SAGACITER mihi peruestiganti, ac diutiùs vno de viro cogitanti, cui hoc Moratæ Poëseos Volumen secundum iure consecrarem, Antistes meritissime; se quidem obtulerunt, & occurrerunt varij: Reuocanti autem animum ad flagrantes cogitationes, & curas, quas ruralis istic Reip. vehementer sine desperatione ac diffidentiâ expostulat salus; Reuerenda Tua Paternitas continuò mihi ad pectus aduolauit: nec iniuriâ: permouit ille, cui, sine dubio, summa vis in dicẽdo semper concessa fuit, Atheniensis De-

mosthenes, hisce verbis: 'ὐκ 'απονοίας ὦ ἄνδρες 'αθηναῖοι, τοὺς ὑπὲρ πατρίδος βουλευομένους δεῖ ζητεῖν, ὅτῳ κοινωνήσουσιν, ἀλλὰ νοῦ, καὶ φρενῶν ἀγαθῶν, καὶ προνοίας πολλῆς. Meminit illum diem, credo, cùm, iam quinque, vel circiter euolutis annis, ad Reuerēdæ Tuæ Paternitatis congressum, colloquiumque, itineris mei comes, & ego admissi, in Coloniarum nostratium rusticanos homines nonnullos, Orthodoxæ Fidei rationibus ac pręceptis leuiter tinctos, ex vario sermone, vt fit, incidissemus; de eorum ignorantiâ, & animarum calamitate, non sine magnâ commiseratione, deplorare cœpisti, & conqueri. Tamque ægrotæ ac propè desperatæ Reip. quæ non erat in parietibus, vt ait Pompeius, sed in aris & focis, remedium atque alleuamentum quęrenti, respondissemus cum Tulliano Catone, tale esse cuiusque studium in senectâ, quale in superiore vitâ fuit. Ii verò, ex quo funesta Caluinistarum & Hugonottorū furia & pestis, in incautos Arthesiæ agros & vicos à Galliâ redundauit, in tātis errorum tenebris, & Religionis ignoratione versati sunt, vt veritatis lucem respicere, etiamnū hodie, vix queant. Adde, quòd citiùs frangas, quàm corrigas quæ in prauum indurueruͤt. Orthodoxum si inchoare atque informare perfectum voles; à pueris ducendum initium: illi iuxta

Demost. contra Aristogi. orat. priore, de salute reip. delibe-rātibus. Athenienses, nō quærendus est is qui desperationis sit socius, sed is potiùs, cuius mentem, & ingenij bonitatem, & magnā prouidentiam imiremur.

Ad Attic. epist. 130.

Cato in senect.

viam suam, etiam cùm senuerint, non recedent ab eâ. Tantùm à teneris consuescere multum est. Ita laudabilis eorum fundamétis constituetur senectus. Hîc, licet consilio non egeres, vel abundares potiùs, repentè studio & cupiditate opitulandi laborantibus Orthodoxâ Fide rusticanis mirabiliter inflammatus, nostrûm duorum in sensum es allectus. Quid mirum? Nulla erat in animo tuo, neque diffidentiæ, neque calumniæ, neque desperationis ara, iuxta illius Phalerei Oratoris disertissimi sententiam; at Iustitiæ, Fiduciæ, & Mineruæ magnæ ac præstantis, non Ethnicorum Deæ, sed Sapiẽtiæ diuinæ, atq; Apollinis non Delphici, at Cœlestis, qui cùm Deus sit, & Phœbus lumenque Veritatis, ostẽdebat monebatque, ad labefactatam & conuulsam Religionis ruinam, quid maximè conueniret. E vestigio, nostrorum operam, hanc ad rem, non inutilem futuram, quod olim iudicarant sancti Pontifices, peruidisti, & confidẽter aggressus es. Vnde verò tam confidenter? Quia scilicet morum ad tuos antè reuocatâ disciplinâ, Chocquése Monasterium, ipsa confectrice omnium vetustate ad interitum ruens, ædificijs recentibus haud paucis instauraras; muris illud ad triginta palmos per circuitum excitatis munieras: templi nouâ dignitatis formâ

Prouer. 22.

Geor. 2.

Cicer. in Senect.

 & spe-

& specie perpoliti, sacram supellectilem ditaueras; in variarum denique Religionum Ordines, egensque pannosorum & pauperum genus, multo ære munificus, (rei interim familiaris fructu non minuto, sed cumulato haud parum) extiteras. Non intercedit mora, zeli & sanctæ æmulationis plenus, domicilium, quantum ad instituendam ruri catechesin, aliquot Patribus, Fratribusque satis foret, Bethuniæ, vnde excurrerent, collocandis, nundinaris & cõparas. Beneuolam Tuam & beneficam voluntatem R^do^. Patri Nostro Prouinciali litteris idẽtidem absens, & coràm, declaras: negotium vrges: aliquot ad certum tempus Patres ac Fratres impetras: eorum tenuitatem, dum Prouidentia Diuina, quæ mundum administrat, eorum rebus aliundè consulat, sustentare pergis, ac fouere. Animi acrimonia, ait B. Nazianzenus, cùm ad pietatem accesserit, zelum parit, cuius quidem vim, pondus, & momentum, velut in speculo vt intuearis, R^de^. Præsul, Ambrosiadem hanc meam honorandæ Paternitati Tuæ, feruens illud, quo in domum Dei & animarum salutem ad hoc vsque temporis incitatus es, studium, dicarem sacraremque, fecit. Eam, si non cursim, at sensim, horis subcisiuis leges; ad priorem illam tuam domus Dei, & animarum æmulationem

tionem, quanta futura sit accessio, non miraberis modò, sed quasi à sensu mentis abstractus obstupesces. Ne verò propter eius incrementum, Megalegorus aliquis incitet, vt altiùs, quàm ipsius humilitatis nomen, ac termini postulant, efferare; Genius tutelaris, qui in extremo secundi huius voluminis, Iouiniani Imperatoris à superbiæ casu erigēdi sustinet partes, firmam R^dæ Tuæ Paternitati cautionem adhibebit, spero & confido. Vale in Christo Præsul dignissime, ac totâ mente, omnique animi impetu in nostratium rusticanorum Remp. de quâ bene mereri nihil est in humanis illustrius, constanter, quod facis, incumbe. Tornaci Neruiorum ex Collegio Societatis IESV. 1618.

Reuerendæ Tuæ Paternitatis
Seruus in Christo

IOANNES SVRIVS.

PRI-

PRIVILEGIVM.

EGo infrascriptus Prouincialis Societatis IESV, in Prouinciâ Gallo-Belgicâ, iuxta priuilegium eidem Societati à Serenissimis Principibus ALBERTO ET ISABELLA die X. Septemb. 1612. concessum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab eiusdem Societatis hominibus compositos, absque Superiorum permissione imprimant; permisi GVILIELMO RIVERIO Atrebatensi Typographo, vt *Morata Poëseos Volumina Auctore* R. P. IOANNE SVRIO, *Bethuniensi, Societatis nostræ*, ad sex annos proximos imprimere ac liberè diuendere possit. In cuius rei fidem has litteras manu nostrâ subscriptas, & Sigillo nostro munitas dedimus. Duaci, 17. Iulij, 1617.

IOAN. HERENNIVS.

APPROBATIO.

R.P.D. IOANNIS SVRII, Societatis IESV Presbyteri, Moratæ Poëseos Partem alteram, ob versuum elegantiam, ac piam, & Christianam doctrinam, prelo dignissimam esse iudico. Datum in antiquâ Ciuitate Atrebatium, Mensis Iulij die 24. M. DC. XVIII.

A. HERBY. *Canonicus Atrebatensis.*

AMBROSIAS
QVINQVE
IN ACTVS
DIGESTA.

PROLVSIO

SPECTATI *Proceres, quorum constante fide stant*
Hannonij Montes, & amicæ Montibus urbes,
Ambrosii in rebus fidei constantiæ, adeste
Auribus, ore, oculis proni: si namque requirit
Impensè attentos Lectorum ad singula sensus
Lectio, quæ mendax, vana, & cælestium inanis,
Proficiens nihil, illaudata Catonibus, aures
Titillat, vacuasque tenet vano illice mentes;
Quàm surrecta magis, quàm libera pectora curis,
Quàm tacitæ linguæ crepitacula muta loquentûm,
Quàm defæcatas aures, oculosque reflecti
Indociles, hæc nostra petunt inducta theatro
Dramata, quæ graphicè vobis operata iuuentus
Ludia, proponet quinos digesta per actus!
Si (quod ait Flaccus) qui miscuit vtile dulci
Omne tulit punctum; vobiscum expendite, nostris
Quid precio, quid honore queat certare tragædis?
Vultis in Heroum, Regumque, Ducumque, Patrũque

Concilia inferri priuata, aut publica? vultis
Vos socios turbis popularibus addere? vultis
Inseri in vrbanas curas, strepitusque forenses?
Vultis (ait Xerxes) aliena pericula cautos
Vos faciant? vultis decursa hîc mille ducenta
Curricula annorum vestros reuoluta reponi
Ante oculos, & quæ sunt dêinde futura videre?
Vultis in hæreticos, in schismata; bella, procellas,
A quibus antiquo sacrosancta Ecclesia seclo
Pressa, triumphali victrix emersit honore
Inspicere? obnixéne aras, ac templa, fidemque
Seruando cupidos animos deponere vultis
Nobilium spectare choros? perdiscere vultis
Artifices mortem pro Relligione paratos
Oppetere? expetitis perdiscere mercatores
Pro templo cultuque Dei, nihil arma, minasque
Indoperatorum dociles trepidare, sed omnia
Infecti, factique auri argentique talenta
(Thesauri ne quid pereat cœlestis) auaras
In dextras procerum, prædatoresque tyrannos,
Terraï ceu quisquilias effundere? nostri
Hæc effecta dabunt vestra omnia vota tragœdi.
Auribus ergò, animis, oculis, linguisque fauete.

ACTVS

ACTVS PRIMVS.

SCENA PRIMA.

PERIOCHA.

PRobus Prætorio præfectus, pro sui officij munere delecturus Rectores prouinciarum, in primis nobilissimi viri Ambrosij Romani ciuis ex Patre Ambrosio Galliarum olim Præfecto nati, rationem habuit, quem nouerat eruditione præclarum, optimisque compositum moribus: eidemque Insubriam, Liguriam & Æmiliam cum insignibus Consularibus tradidit gubernandas, cum his verbis: *Vade age non vt Iudex, sed vt Episcopus.*

ANICIVS PROBVS GALLIÆ TOPARCHA, ET AMBROSIVS.

PROBVS.

QVanta tui virtus animi; quæ copia fandi,
Quanta foret pro consilio prudente facultas,
Visque recidendis vitijs & litibus, omnem
Quæ sine pace trahunt studia in contraria vulgum;

Hactenus explorasse vacat: iam desine porrò,
Ambrosi ab Ambrosio prognate parente, probatos
Attenuare tui ingenij felicis honores:
Namque quid eualeat noui, quid ferre recuset,
Perdidici: (nec enim infitear) te Curia claret
Ciuica, te viduæ, puerique parentibus orbi
Suspiciunt: orante, rei, te vindice, viuunt.
Multa per ingenuas tractata fideliter artes
Causa foro, mecum (licet alta silentia seruem)
Concinet, Ambrosium iure ad maiora reposci.

Paulinus in vita S. Ambro. Baronius to. 4. anno Christi 69 Damasi pap. 3 Valentiniani maioris 6. Ætatis Ambro. anno. 36.

Dum verò hæc tua facta probo, ne crede superbos
Verborum tibi futilium mendacibus auris
Hîc me velle inflare animos; at vt altiùs ire
Contendens, ab ijs (tonsæ arboris instar, ab ipsa
Quæ trahit aërios ramos animata bipenni)
Concipias maius laudatus ad ardua robur:
Namque suis virtus adolescit honoribus. Ergò
Deinde Gubernator Ligurem moderabere gentem
Aemiliamque: manu Insubres ita dirige frenos,
Ne pressi nimiùm stringant, neu laxiùs vndent.

AMBRO.

Mene parem, Gallis Heros trepidate, ferendo
Huic oneri curæque putas? PROB. *Desiste vereri:*
Tantùm adeò tibi commissis ne deficerebus.

AMBRO.

At verò trepidis collisa tumultibus ardet
Tota propè in crimen, sæuique incendia belli
Patria sacrilego Arij pro dogmate: tantas
Et tempestates, tantos sedare furores

Eua-

Eualeam! PROB. *Satis: ista Valentinianus iniuit*
Consilia: I non vt iudex, sed Episcopus. AMBRO.
Ibo:
Quando aliter nequeo diuinum abrumpere fatum.

SCENA SECVNDA.

VALENTINIANVS senior cum GRATIANO & VALENTINIANO filijs, item Episcopis VERCELLENSI, COMENSI, ÆMILIANO, VERONENSI & SIMPLICIANO, agit de Episcopo in locum Auxentij Ariani mortui subrogando.

VALENTI. SENIOR.

EGregia Italiæ decora, inconcussaque telis
Hæreseon, fidei sacra propugnacula, tandem vt
Morte obitâ extremum infelix Auxentius æuum
Clauserit (indulgens quæ cœli est gratia) scitis,
Vtque per Insubres orbata Ecclesia Patre
Iam caret, haud tenui turbæ discrimine, cauti
Exemplis veterum non ignoratis. Id vnum
Nunc superat (nobis quoniam data copia vestri est)
Vt citò concordes votis & vocibus, vnum
Sanctorum è numero illustrem virtute fideque

Theodoret l. 4.c.5.6. Baro.to. 4.Christi anno. 374 Damasi Papæ & Valentini Imp. 11.

Sincerum, & contra Arij Auxenti que sequaces
Fulmineum ore, animis adamantinum, ab arte magistrum
(Ne qua infectorum prosurgat turba) erectis.
Nulla erit à vobis in me dissensio discors.

VERCELL. EPISC.

Si placet, Indoperator, ad hoc incumbe, virumque
Pro patria, pietate grauem, & sapiente politum
Ingenio, tua per suffragia delige. VALENT. I. *Magnum*
Hoc opus est, humerisque meis & viribus impar:
Vos potiùs, quos ad tanti splendoris honorem
Gratia prouexit diuina, incumbite sancto
Huic operi: nam sacra duces Regesque profanos
Attrectare nefas: Reges sua bella patranto:
Ciuica curanto: leges æquumque tuuntor.
Sancta sacerdotes, diuinaque sacra gerunto:
Namque, equidem memini Oziam, *quem nempe volentem*
Fas contra sacra sacrilegâ suffire per aras
Thura manu, toto infecit lepra tabida vultu
Pro culpæ merito. Ne par me pœna volentem
Admiscere sacris, maneat, crucietque, cauebo.

Nota Imper. Valentiniani modestiam, cum oblatam sibi electionem tantæ Ecclesiæ Episcopi recusauit, sui muneris inquiens minimè esse Ecclesiasticis se immiscere negotijs.

VERCELL.

Ergò tuâ quando fixa est hæc mente voluntas,
Nos parere decet. COME. *Celebranda comitia templo.*
ÆMILI. *Simplicianus adest.* VERON. *Proceres vt congreget, ibo.*

VA-

VALENT. I.

Res, Superis operum auſpicibus per vota preceſque
Informetur, & optato proſperrima fine
Claudetur, licet aduerſum denſo agmine ſurgant
Tartarei manes. Gratiane, audiſque videſque
Quàm ſacrum venerer diuino munere Clerum,
Quàm ſit auita fides, quàm ſit mihi patria curæ
Relligio, quantis animi conatibus inſtem
Deteſtata Deo, terris exſcindere monſtra
Hæreſeos, ne mortales contage trucident.

GRATIAN.

Audio cuncta, Auguſte parens, videoque. VALENT. I. *Videbis*
Prôinde etiam cùm firma virum te fecerit ætas
Sis memor. GRATI. *Immemorem me nulla redarguat ætas,*
Immo pares in virtutes patris æmula virtus
Me ſtimulet, faciam. VALENT. I. *Patriâ dignum indole pectus.*

SCENA TERTIA.

PERIOCHA.

Recedente Valentiniano & prolibus manent ſuperiores Epiſcopi acturi de eligendo Epiſcopo Mediolanenſi.

COMEN.

Paulinus in vita S. Amb.

Vulgaris formido animi diuortia. ÆMIL. *Turbas*
Præsagus (nisi forte Valentinianus acerbis
Obuiet imperijs) iam nunc præsentio. VERON. *Nescis*
Arij de fæce gregem nostra omnia contrà
Consilia oppositis armis vehementer iturum?

VERCELL.

Certatim aduersi (neque enim nescimus) inibunt
Mille vias, aditusque oculis vigilantibus omnes
Tentabunt nostris obices opponere votis,
Pontificisque sacri primos decernere honores
Execrato alicui Ariano ex ordine, sparsim vt
Per patriam valeant virus diffundere, remque
Conficere affectam, tanta est contentio cœtus
Hæretici incautum vitio corrumpere vulgus.
Nos decet intereà segni torpere veterno,
Oreque inaudaces tacito mutire? OMNES *Cauendum est.*
COMEN. *Hac nostrâ stat parte Deus.* VERON. *stat Regius ense*
Districto fauor accinctus. AEMILI. *Stant vota, stat eius*
Imperium: contra hæc autem, discordia quidquam
Agmina, barbarico populariaque arma tumultu
Posse putas? VERON. *Fac posse: ideò sedeamus inertes?*

Nec

Nec contra hostiles, vt ferrea tela, furores
Persistemus? AEMIL. *Veteri de Relligione parentum*
Nos trepidos etiam latum decedere ad vnguem,
Aut tenue illius damno concedere punctum
Dedecet. COMEN. *In pœnas potiùs mortemque ruendum est.*
VERON. *Hæc immota sedet mihi mens.* AEMIL. *Mens omnibus vna.*
VERCEL. *Ergò sacerdoti suffragia ferre creando*
Maturemus, & auxilium cœleste petamus.
Namque viâ plenâ ad sacram plebs confluit ædem.

SCENA QVARTA.

Orthodoxorum Arianorumque confluente ad templum cœtu, in proscenio CASTVS & PAVLINVS interloquuntur.

CASTVS.

Opportuna fluunt, nostrisque accommoda votis
Tempora, mi Pauline: fides afflicta tot annos
Et concisa, graui lacerataque vulnere tandem
Respirare potens, veterem formamque, decusque
Induet, antiquas ac templa per Itala vires

Col-

Colliget, emeritâ quando iam morte peremptus
Impius ad manes Arÿ, Auxentius iuit.

PAVL.

Congruo: namque Deus tandem sua templa, fidemque
Pollutam miserans, desolatumque Parente
Et vero Pastore gregem, placidusque, fauensque
Aethereo, serus quamuis, respexit ab orbe.

SCENA QVINTA.

SIMPLICIANVS egressus templum, seditionem Arianorum & Orthodoxorum nunciat.

QVod mihi mens præsaga malum prædixerat, ecce
Contigit: ardenti ad pugnam collisa tumultu
Templa fremunt: varians aliumque aliumque reposcit
Pontificem populus. De seditione coortâ
Indoperatori celer exeo nuncius: horridam
Ad cædem namque est ventum iam penè, nec vllus
Sese interponens discordia pectora placat.

SCENA

SCENA SEXTA.

AMBROSIVS Mediolanensis Præfectus, cum esset Mediolani, veretur ne quid rerum nouarum diuersæ factiones moliantur.

Q Vos mihi, quos video curarum incumbere fasces
Dum gero honoratos pro munere Consule fasces!
Namque malis furiata odijs plebs nescia recti,
Indocilisque pati frenos, sine lege modoque
Perfurit, & sperem indomitam constringere freno!
Ante ferum cicures, positâ feritate, leonem.
Quanta gregi fideique, absentia Præsulis affert
Damna (vt inexpertum docet experientia) planè
Conspicuum est; dum præsertim sententia puræ
Relligionis in ancipiti malè dissona nodo
Pugnat, & obscuris animos erroribus implet,
Vnde duella. Adeo Augustum moniturus, vt vrbi
Prouideat, totoque sagax ex ordine Cleri,
Consilio, virtute, fide, pietate, scienti
Cognitione virum eximium, cui tradat habendum
Ritè gubernaclum Aemilianæ Ecclesiæ, operta
Ne rapidis, quæ prosurgunt, mergatur ab vndis,
Deligat exactæ maturo examine libræ,

Paulin. in vita S. Ambro.

De-

Delectum creet, ac præconis voce per aures,
Per populum, dignum esse cui caput infula lambat,
Nunciet: ille graues, pressus quibus ingemo, fasces
Officij, famâ, studio, ratione leuabit
Vt spero, nec vana reor.

SCENA SEPTIMA.

PERIOCHA.

DEnunciatur Imperatori seditio pro Episcopo deligendo: ille ad eam componendam in templum mittit Ambrosium.

VALENTINIANVS maior, GRATIANVS, SIMPLICIANVS, AMBROSIVS.

VALENTI.

QVid! tanta coorta est
Seditio! SIMPL. *Tanta est: immò ne funera latè*
Sint data, permetuo: nam me abscedente furores
Arma ministrabant: hic tædâ armatus obustâ,
Hic candelabri spirans immane metallo,
Pars stringens manibus cultros, pars ferra fenestris
Abripiens, pars conuellens subsellia, scalasque,
Et statuas, lateresque, & acutâ cuspide contos,
Craterasque, focosque Deûm spoliabat, & aras.
VALENT. *Sermonem hîc abrumpe: vola celer Ambrosi: eorum*

Flexa-

Flexanimo rege verbo iras, & pectora mulce.

AMBR.

Pareo: sit quamuis sine mente, sine aure, sine arte
Iudicioque, tumens bile ac turbantibus armis
Aspera plebs. VALENT. *Non vt Iudex, at Episcopus ibis.*

AMBR. *Sit licet exspes spes, tamen attẽtasse iuuabit.*
Ergo mihi ratio verborum ineunda, modusque est.

VALENT.

Cernis vt Hæreseos Lernæa repullulet Hydra,
Perque Italas tentet sua toxicà fundere terras
Mi Gratiane? GRATIA. *Parens venerate, venena luemque*
Hereticæ quæ fata creat mortalibus hydræ
Prospicio, mœrensque gemo tot in oppida regni
Italici fusum sparsumque licentius esse
Tam ferale malum. VALENTI. *Nisi furcâ, carcere, ferro,*
Exilio, igne domem Hæreticum, exitialia semper,
Qua-se-cumque meum imperium protendit, habebo
Toxica. GRATIA. *Nullo igitur verbo, ratione, modoque*
Flectere, permollire, linire, aut frangere quisquam
Hæreticum monstrum eualeat? VALENTI. *Nil verba, modusque,*
Nil ratio, nil fas, nil lex, nil iura, forumque
Omne valet. GRATIA. *Nil pax?* VALENTI. *Pacisque repagula rumpunt*
Hæretici: largo nantes in sanguine viuunt

Hæretici.

Hæretici. Ergò tibi ne quæ concordia & vsus,
Colloquiumque viris cum talibus intercedat,
Post vbi vita mihi fuerit præcisa, cauebis.

GRATIAN.

Ne dubites, Auguste parens, quæ gratia cæli,
Spero, fauebit, ab Hæreticâ mihi tabe cauebo.
Immò illam ferroque sequax vlciscar & igni.

VALENT. I.

Macte animo, patriosque refer cum pectore cultus.

SCENA OCTAVA.

PERIOCHA.

VBi (inquit Paulinus) in templo alloqueretur plebem Ambrosius, subitò vox fertur infantis in populo sonuisse, Ambrosium Episcopum. Itaque qui antè turbulentissimè dissidebant, repentè in huncvnum mirabili concordiâ consenserunt.

FLORVS, MICROPISTES, MEGALOPHOEBVS, AMBROSIVS, SIMPLICIANVS, MACEDONIVS, VERCELLENSIS EPISCOPVS, COMENSIS, ÆMILIANVS, VERONENSIS, PÆDANGELVS, ORTHODOXORVM & ARIANORVM chorus, LEONTIVS.

MI-

MICROP.

Diffugiamus ab instanti, qui succutit ædem,
Turbine. FLOR. *succensâ populi fugiamus ab irâ:*
Decernunt rabidi ferro, sudibusque præustis.
MEGAL. *Hêi, cognate, meo fratri formido, tuoque,*
Ne properent mortem sibi: nam quod cuique repertũ
Rimanti telum ira facit. AMBROS. *Quæ tanta, puelli,*
Causa fugæ? MICROP. *Dira inter sese vulnera miscent.*

MEGAL.

In templo intentant crudam omnibus omnia mortẽ.

FLOR.

Regrediamur, & hæc quorsum cadet ira, notemus.

MICROP.

Audebone inferre gradum? tentabo: minor me
Quàm reliquos formido tenet. MEGAL. *Sequar eminus: ite.*

AMBR.

Quis furor hîc? cohibete iras: componite motus.
Vnde faces, discorsque malũ? quæ causa? quis autor?

MACEDO.

Pontificem volumus votis communibus vrbi
Constitui, renuunt illi: suffragia soli
Ferre volunt. LEONT. *Volumus fidei, Clerique patronum*
Deligere, Ariana isti dum toxica latè
Pertentant de more suo perspergere, tetris

Infectum vitijs, pronumque tumultibus vnum
Pontificem stabilire volunt; nos nolumus. MACED.
Ergò
Ambrosi, adulta tibi quando est sapientia, litem
Dissue: namque potes; te Consule, turba residet.

AMBRO.

Annuo: sed primùm, obtestor, certamina & iras
Ponite: nam, scitis, contentio mille malorum
Est fœcunda: Remo concors cum fratre Quirinus
Iura dedit: discors patrio se sanguine fœdè
Polluit. Indisrupta tenet dum copula ciues
Romuleos Vrbis sub prima crepundia, rebus
Omnibus vbertim, belloque, togaque, triumphisque
Innumeris incredibili per multa quiete
Secula florescunt, omnes super orbis alumnos.
Discordes animis, in mutua fata feruntur
Discisso imperio. En, mala quò discordia ciues
Perduxit miserè miseros? Nec verò Quirites
Tantùm, sed quacumque orbis distenditur, omnes
Inter se furijs inimicat & asperat vrbes.
Pax contrà, vt passim docet experientia vulgum,
Omnibus est fœcunda bonis: à pace adolescit
Res angusta domi: rixis discordibus exit
Dilapsa in nihilum quæuis res maxima. Discors
Lis igitur cadat ex animis: sin, plura sequentur
Quæ subijsse olim pigeat, dispendia. Verbis,
Paulus ait, noli contendere: noxia pronis
Auribus ad sensum est contentio, & improba mollem
Auscultantûm animum euertit. Quàm dedecet autem
Lis

Lis & rixa Dei famulos! quid porrò? timendum est
Illud in extremo Sinai quod vertice Moses
Quondam hausit: si fortè viris rixantibus, alter
Fœmineum prægnantem vterum percusserit, imaque
A matrice informis adhuc eruperit infans;
Omnia damna Reus pendet cum laude, mariti
Arbitrio. Formâ si constet abortio; dentem
Dente luet, manibusque manus pro crimine, vitam
Vitâ, oculis oculos, pede plantam, & vulnere vulnus.
Numquid ab hoc numero multi (ceu fœmina) Christũ
Parturiunt? quid si prorumpat abortio membris
Informis propter vestra hæc certamina? vitam
Vitâ, oculis oculos, ac dentem dente luetis.
Prôinde viri, precor, excito desistite motu,
Pontificemque dabit vestris concordia votis.

PAEDAN. *Ambrosius Mediolanensis Episcopus.*
ARIANI. *Hûi!* ORTHO. *Hûi!*
PAEDANGE. *Ambrosius Mediolanensis Episcopus.* MACED. *Omen*
Fortunatum. COMEN. *Vnde hæc vox excidit?*
CAST. *Ore puelli.*
MERCVR. *Disquiratur.* MACEDO. *Vbi est?*
PAVLI. *Oculis disparuit.* VERC. *Hæc vox*
Non verbum puerile sonat. VERON. *fuit Angelus.*
AEMIL. *Omen*
Excipite. ARIANI. *Excipimus.* MACED. *Nostræ sit Episcopus vrbis*
Ambrosius. ORTHO. *Placet Ambrosius.* VERCELL. *Viden' Ambrosi?* AEMIL. *Inaudis*

Ambrosi, vt vnanimi te voce & mentibus æquis,
Ac totis signent oculis cum plebe Senatus,
Præsul vt Insubrem moderere Ecclesiam? AMBRO. *Adoptant*
Me! OMNES. *Te, non alium.* AMBRO. Non hæc ad munia veni.
Vno te tamen aßensu turba ambit. AMBRO. *Ineptum*
Me! OMNES. *Te.* MACED. *Te exposcit plebes.* AMBR. *Hominemne profanum?*
Sacrorumne hominem ignarum? Baptismatis vndâ
Non elutum hominem! OMNES. *Te te vnum poscimus omnes.*

Ratio. declinandi Episcopatus.

AMBRO.

Fortunam, meritumque meum hæc prouincia, viresq;
Exsuperat. ARIANI. *Volumus reliquis te ex omnibus vnum.*

VERCEL.

Declinare nequis: placuisti ex omnibus vnus.

AMBRO.

Declinabo tamen. Quasi verò sit Vmbria claris
Vsque adeò iam effœta viris, nec idonea virtus
Insubrûm, tanto quæ compar ponderi, honorem
Sustineat. SIMPLIC. *Quis in Vmbrorum, Insubrûmue coronâ*
Consule maior? & à tanta virtute, gerendos
Aptior ad fasces, forti quos pectore, summâ
Laude geris? AMBRO. *Multo inter se discrimine distant*

Ambrosius repentino casu perculsus, vt primũ sese collegit, cogitare cœpit quibus valeret artibus populũ & Episcopos à se in Episcopum deligẽdo reuocare.

Ciuica

Ciuica frena, sacri curæque Antistitis: vrbes
Atque animas regere imperio, diuersa: tribunal
Christi, aliud quàm mũdi: auidique ardetis vt illud
Insideam? audetis mihi tantam imponere molem!
Nõ honor est, onus est: onerat, men' honoret? honoret
Quem lubet hic honor: exoneret me perlubet. AEMIL. *Illum*
Accipies: causas frustra prætendis inanes.

AMBRO.

Hei! iam nulla mihi super argumenta: refellunt
Omnia: nil hîc consilium, fandique facultas
Proficit. En, quid agam? satis ista superque: seueros
Induar in vultus: *Tormenta adhibere tumultus*
Turbarumque fabris me velle, vt percitus irâ
Terribili effingam: atque ista ratione, remittent
Clamores, tantumque humeris quod abhorreo, pondus
Decutiam. AEMIL. *Oblatos, ne differ, ô Ambrosi, honores*
Suscipe. AMBR. *Me sinite, & vestris incumbite rebus*
Vt libitum est: nihil emotas componere turbas
Verba valent: vtar nunc iure. Age, in ista duorum
Corpora, turbarum fontes, tua vincla satelles
Iniice, ne fugiant vigila, rape, pertrahe, claude,
Proque tribunali post paullo siste: sedebo
Continuò. SIMPLIC. *Timidas animis deponite curas.*

Secundus modus quo admonuit, vt Episcopatum effugeret. Paulin. in vita Ambrosij.

Ambrosi, vt vnanimi te voce & mentibus æquis,
Ac totis signent oculis cum plebe Senatus,
Præsul vt Insubrem moderere Ecclesiam? AMBRO. *Adoptant*
Me! OMNES. *Te, non alium.* AMBRO. Non hæc ad munia veni.
Vno te tamen aßensu turba ambit. AMBRO. *Ineptum*
Me! OMNES. *Te.* MACED. *Te exposcit plebes.* AMBR. *Hominemne profanum?*
Sacrorumne hominem ignarum? Baptismatis vndâ
Non elutum hominem! OMNES. *Te te vnum poscimus omnes.*

Ratio. declinandi Episcopatus.

AMBRO.

Fortunam, meritumque meum hæc prouincia, viresq;
Exsuperat. ARIANI. *Volumus reliquis te ex omnibus vnum.*

VERCEL.

Declinare nequis: placuisti ex omnibus vnus.

AMBRO.

Declinabo tamen. Quasi verò sit Vmbria claris
Vsque adeò iam effœta viris, nec idonea virtus
Insubrûm, tanto quæ compar ponderi, honorem
Sustineat. SIMPLIC. *Quis in Vmbrorum, Insubrûmue coronâ*
Consule maior? & à tanta virtute, gerendos
Aptior ad fasces, forti quos pectore, summâ
Laude geris? AMBRO. *Multo inter se discrimine distant*

Ambrosius repentino casu perculsus, vt primũ sese collegit, cogitare cœpit quibus valeret artibus populũ & Episcopos à se in Episcopum deligẽdo reuocare.

Ciuica

Ciuica frena, sacri curæque Antistitis: vrbes
Atque animas regere imperio, diuersa: tribunal
Christi, aliud quàm mũdi: auidique ardetis vt illud
Insideam? audetis mihi tantam imponere molem!
Nõ honor est, onus est: onerat, men' honoret! honoret
Quem lubet hic honor: exoneret me perlubet. AEMIL. *Illum*
Accipies: causas frustra prætendis inanes.

AMBRO.

Hei! iam nulla mihi super argumenta: refellunt
Omnia: nil hîc consilium, fandique facultas
Proficit. En, quid agam? satis ista superque: seueros
Induar in vultus: *Tormenta adhibere tumultus*
Turbarumque fabris me velle, vt percitus irâ
Terribili effingam: atque ista ratione, remittent
Clamores, tantumque humeris quod abhorreo, pondus
Decutiam. AEMIL. *Oblatos, ne differ, ô Ambrosi, honores*
Suscipe. AMBR. *Me sinite, & vestris incumbite rebus*
Vt libitum est: nihil emotas componere turbas
Verba valent: vtar nunc iure. Age, in ista duorum
Corpora, turbarum fontes, tua vincla satelles
Inijce, ne fugiant vigila, rape, pertrahe, claude,
Proque tribunali post paullo siste: sedebo
Continuò. SIMPLIC. *Timidas animis deponite curas.*

Secundus modus quo admonuit, vt Episcopatum effugeret. Paulin. in vita Ambrosij.

Namque quod vt Iudex parat ille forense tribunal
Scandere, symbolon est sacri quòd Episcopus olim
Inscendet solij. CAST. *Vana est formidinis vmbra.*
LEONT. *A desiderio, studio, certamine, voto*
Communi nihil est cessandum. PAVLI. *Instare iuuabit*
Quo-se-cunque ferat. DALMATIVS. *Clamore sequace premamus*
Nolentem. ORTHO. *Mediolanensis Episcopus esto*
Ambrosius. AEMIL. *Desiderio studioque tenace*
Appeteris, cui mitra caput circumambiat: oro,
Ambrosi, inexpletum precibus ne despice vulgum.

Tertiario ad fugiendum Episcopatum.

AMBR. *Nunquid adhuc vos dura mei perterret imago?*
Quisquis honorati munus curamque capessit
Pontificis, ne cælestes incurrat in iras
Indignante Deo; proprio neu noxius obsit,
Ipse gregi, nullá culpâ noxâue laboret
Expedit: iracundus ego, implacabilis, atrox
Immeritam plebem ad pœnas, ad vincla reposcens,
Hoc vestro exitio nomenque decusque capessam?

Subducit se à turba vt declinet episcopatum quartò.

ORTHO. *Implacata tua inclementia & ira redūdet*
In nostrum caput. AMBRO. *At ne vos iratus acerbem,*
Neu mea culparum quemquam contagia lædant,
Secessum, mora nulla, petam, secretus & omni
A populo, Sophiæ studium penetrabo. PAVLI. *Propinqua*

Hac

Hæc erit ad Sophiam via, si redimicula mitræ
Accipies : namque eloquij fucumque coloremque
Abijcies, Christum Piscatoresque sequutus,
Quorum operâ, studioque Sophi meliora capessunt.

AMBRO.

Ingratos vllâ trahitis sine fruge labores:
In Venerem me namque rapit luxumque libido:
Ite Cupidineas totâ vrbe requirite nymphas.

Quinta ratio defugiendi Episcopatus.

SIMPL.

Nil tua nos simulata Venus, nil ficta libido
Territat: immò sacri signum est atque obses amoris.

MERCV.

Quæ te-cunque, tuumq; animum Venus illicit, in nos
Incidat, & culpæ reliquæ. AMBRO. *Peruincor: adempta est*
Effugij spes tota: quid hîc mihi denique restat?
In latebras abdar? sed, quas? me namque sequentur.
Deliteamne domi? murosque foresque, viam vi
Quærentes, frangent: ædes si irrepo propinquas,
In census vitæque traham discrimen amicos.
Ergò meâ satius profugum me excedere terrâ.
MICRO. *Res confecta: domum celeres redeamus.*
FLOR. *Eamus:*
Vtque sit Ambrosius delectus Episcopus vrbis,
Consensu vnanimis populi & diuinitùs, ædes
Ad patrias referamus. MEGAL. *Abis cognate? moremur:*
Namque rei successus adhuc (dum singula voluo)

 Pendet

Pendet in ancipiti. MICROP. *Pueri satis ista superque*
Vidimus; interea cursus lususque facultas
Irreuocata perit: nostros ea cura parentes
Tangat: eo, hîc tu si libeat, non obsto, morare.

SCENA NONA.

PERIOCHA.

OMnibus inopinâ subreptione Ambrosij & fuga perculsis, eumque requirentibus, sub noctem Vrbis Mediolanæ portis elapsus AMBROSIVS, interea remanent Episcopi VERCELLENSIS, VERONENSIS, AEMILIANVS, COMENSIS, MACEDONIVS, & SIMPICIANVS.

VERCELL.

PRæfractus refugusque datos aspellit honores:
Illius obseruata sequi vestigia vobis
Autor ego, inuitumque eius caput, auspice cælo,
Mitrâ ornare: oculo nam vestro ereptus, opertas
Aut sese in latebras vrbis, cæcosque recessus
Coniiciet, longoue suâ se sponte, silenti
Nocte fugax dabit exilio: mihi credite: noui
Quippe hominem. MACEDO. *Probo consilium:*
mitta

mittamus euntem
Qui vigili obseruent oculo, impediantque parantem
Nocte fugam, si fortè paret. Tu nuncius ibis
Interea Induperatori, vt suffragia firmet
Nostra manu ac tabulis: mandata etiam insuper addat
Inuiolata, quibus Melanam Antistes vt vrbem
Ambrosius regat (imperij quæ est copia) mandet.
SIMPL. *Actutum impositas exactus obiuero curas.*

Ad Valentinianum Principem relatio de Ambrosio in Episcopū electo mittitur. Ea re percepta Imperator summopere lætatur.

SCENA DECIMA.

AMBROSIVS

DEcussi ceruice iugum: nunc liber apertis
Dum potior campis subductus ab vrbe, remisso
Progrediar pede: namque meis quantum auribus omnia
Excipio arrectis, oculosque in singula voluo;
Insequitur nemo, tergoque fugacis inhæret.
Res est salua: graui sum mole solutus: ab undè est:
Ticini latitabo, Deus dum adlegerit vrbi
Pontificem. At rubet Eoüs, lucemque propinquam
Nunciat: accelerare viam gressumque necesse est.
Sin, prodar, rapiarque oneri mitræque ferendis.

SCENA VNDECIMA.

PERIOCHA.

SImplicianus ab vnâ theatri parte: ab alterâ Ambrosius, qui totâ nocte cùm fugisset, se ad Mediolanensem portam reperit manè.

VALENTINIANVS senior, GRATIANVS, PROBVS, CASTVS, PAVLINVS.

VALENT.

AMbrosius! AMBRO. *Quâ me inuenio regione viarum!*
SIMPL. *Ambrosius.* AMBRO. *Portam Melanæ conspicor vrbis,*
Quà patet egressis Romam via. PAVLI. *sistite, adest hîc*
Ambrosius. AMBROS. *Prodor.* VALENT. *Nostro hæc suffragia voto*
Euenere. CAST. *Vides, Deus vt tua cœpta retardet,*
Ambrosi? PAVL. *Honoratos cape quos Ecclesia fasces*
Impertit. AMBRO. *Capiā: sed quæ secretus in aurē*
Caste tibi & Pauline breui sermone renarrem
Pauca habeo. CAST. *Breuis aut prolixus, vt adlubet, esto.*

Probus suum de Ambrosio iudicium, ac præiudicium cum præsagio felici euentu comprobatum gaudet.

Quàm

VALENT. *Quàm tua me recreant hæc nuncia! gestio plenus*
Lætitiæ: iudex mihi missus, Episcopus vrbis
Deligitur: mea laus omnis. PROBVS. *Diuinitùs illi*
Obtigit hoc, quod me memini prædicere: misso
Namque per Aemiliam & Ligures, frenosq; regēdos
Detrectanti, animis, inquam, ne defice: frenos,
I modera, non vt iudex, at Episcopus: omen
Excipit euentus. VALENTI. *Verbo non dispare missus*
Est nostro imperio motas compescere turbas.
Prôinde nihil causæ ferat, vt delata recuset
Munia: namque in ijs humana per omnia, Numen
Consiliumque Dei agnosco: suffragia Cleri
Ac populi probo: quin, pariter suffragor, adopto
Pontificem Ambrosium, declaro, nuncupo, firmo,
Chirographumque meum nulli violabile trado,
Accipe: si quis in aduersum contendat, cumue
Abstrusum in secreta domus penetralia celet,
Aut vinclis aut ære luat. Qui namque fidelem
Inuidet, auellitue gregi stabuloque magistrum,
Desolata lupus si mandet ouilia, tanti
Autor erit fomesque mali. Nil pluribus vsus.
I refer Ambrosio quantâ hæc me electio diuæ
Apta voluntati, hæreticos positura furores,
Lætitiâ implerit: dictisque hæc insuper adde:
Vt caueāt quidquam contra tentare negando,
Detrectando, vel effugium quærendo, nisi me

Quia Imperatorijs sanctionibus vetitum erat ne Decuriones vel publicis obligati functionibus adsciscerentur in Clerum, requiri videbatur Valentiniani assensus pro Ambrosio in Episcopū deligendo: l. 3. de Episc. & Cler. Theodor. l. 4. c. 6. Tradet suum chirographū acceptum à Meniuolo scriba.

Et

Et cæleste (cui sunt hæc mortalia curæ)
Numen acerbare, atque graues accendere in iras
Decrêrit: satis: istorum mihi nuncius esto.
Tu verò, mea cûi sêclis effœta senectus
Apparat imperium, Gratiane, videsne tumultus
Hæreticos contra claris se opponere signis
E cœlo rerum Dominum, dum prouidet orbi
Illyrico, quem penè suis erroribus opplet
Arius, pollentem animo constante, fideque
Ambrosium? GRATI. *Clarè id video, patriæque labanti*
Gratulor, & me istæc seruatum in tempora, lætor.
Namque erit ille meis (dum sors premet aspera) rebus
Vtilis: ille meo lateri mensæque, sacrisque
Indiuulsus erit semper comes: illius vtar,
Ceu pacem, seu bella geram, cœlumue capessam,
Consilio. VALENT. *Nunquam tali duce & auspice, rectâ*
Exerrare viâ poteris: dignissimus ille est
Imperio, seque ipse regit feliciter vnà
Cum populo, quisquis dociles submiserit aures
Ambrosio, aut simili vitæ morumque magistro.

SCE-

SCENA DVODECIMA.

PERIOCHA.

CASTVS, PAVLINVS, MACEDONIVS, SIMPLICIANVS, DALMATIVS, inter se agunt de Ambrosij fugâ subtili.

CASTVS.

ECce manus erupit, abit, euasit abusus
Nos, nostrasque suis pronas sermonibus aures,
Ambrosius. MACEDO. *Non debuerat semel irretito*
Nostrisque implicito manibus, tam libera fandi
Copia concedi: iuuat arte tenere fugacem.
Ales in angusto caueæ quæ clauditur antro,
Si semel exiliat, non est reuocabilis: ales
Ambrosius pernixque fugâ est, semel extricatus
Non recidet. DALMA. *Miror quàm sensim erepserit.* PAVL. *Ore*
Attonitisque inhiabam oculis ad verba loquentis,
Pendebatque simul Castus narrantis ab ore;
Cùm subitò inter nos obuersis vultibus, ille
Improuisus abit: sequimur, fugit ille sequentes.

MA-

MACED.

Vos ego consilijs animisque volentibus istam
Crediderim admisisse fugam. PAVL. *Mihi credite, culpæ*
Sum vacuus. CAST. *Trepidas fando nos ducimus horas;*
Quin magis Vmbrorum lustrare extrema iubemus,
Et volucres legamus equos, qui certa reportent
Vrbibus ac villis fugitiui nuncia? DALM. *Eamus:*
Expediamus equos. Verùm ecce aduentat ab Aulâ
Simplicianus: ei nostræ quem incongrua finem
Euentumque rei dederit fortuna, feramus.

SIMPL.

Nostra, viri, super Ambrosio suffragia, summè
Indoperatoris menti placuere. MACEDO. *Quid illud*
Profuerit, quando potiundi exempta facultas
Ambrosii nostra eludit suffragia? SIMPLI. *Non est*
Erutus è latebrâ celante, fugâque retractus?

PAVLI.

Manè, fugâ in mediâ, primoque in limine portæ
Romanæ ancipites oculos per cuncta ferentem,
Ceu foret ignarus regionum, offendimus: arte
Nescio quâ tamen elapsus per lubrica sese
Eripuit nostris iterum conspectibus. SIMPLIC. *Omni*
Vestigandus erit studio, perque oppida voce
Præconis promulgandum Imperiale diploma hoc,

Quod

Quod vetat Ambrosium ne qui celentue, recondãtue,
Aut vinclis, aut ære luant. DALMAT. *Accibo repentè*
Præconem. CAST. *Hæc via sola virum, quem quærimus, urbi*
Restituet, subeat ne cara pecunia damnum.
Virtus post nummos: seruanda pecunia primùm est.

SCENA DECIMA-TERTIA.

PERIOCHA.

VBi relationi responsum est, & Imperatoris decretum publicatum, quo iubebat Ambrosium extemplò sacris initiari mysterijs, & Episcopum ordinari: Leontius Ambrosium prodit in suburbano suo delitescentem: qui mox Mediolanum perducitur.

PRAECO, ET LEONTIVS.

LEONT.

ABstrusi Ambrosium in latebras: licet antra pererrent
Omnia, ceu catuli Sparthani nare sagaces
Exploratores, nequeunt offendere. Quorsum
Hæ latebræ tamen? ecqua mea hæc prudentia? nostro
Namque suburbano Ambrosius qui delitet, horrens

Theodoret. l. 4. c. 6.

Præ-

Præsulis oblatam meritâ virtute tiaram,
Non poterit latitare diu: euulgabitur: alto
Abscondi nequit vrbs fundata in monte: lucernam
Quis, modò succensam, modio supponat? opertum
Sed patienter adhuc paullum secretus habebo;
Interea adueniens Præco quæ nuncia portet
Scitabor: Nouane Augusti consulta Senatus
Euulgare venis, Præco? pacemne, vel arma
Sauromatum cum gente? Italas nam aduentat ad vrbes,
Audio. PRÆC. *Nil de Sauromatis, nec pace, nec armis*
Nuncio, sed iussa Imperij, sacrique Senatus
Declarare paro. LEONT. *Ante tubâ quàm vulgus in vnum*
Conueniat, summam consulti edisserere. PRÆC. *Quisquis*
Ambrosium, qui Pontificis detrectat honorem,
Abstrusum in secreta domus penetralia celat;
Aut vinclis, aut ære luat. LEONT. *Sunt certa Senatus*
Hæc decreta! PRAECO. *Fidē do: sunt certissima.* LEONT. *Carò*
Ambrosij latebræ starent mihi: desine porro
Velle ciere tubâ populum, decretaque voce
Promulgare: meis abstrusus in ædibus hæret
Ambrosius. PRÆC. *Referam hoc igitur Primoribus.* LEONT. *I fer:*
Adueniant: præco: latebras sine fraude recludam.

SCE-

SCENA DECIMA-QVARTA.

MERCVRINVS, POPVLVS, MACEDONIVS, PRAECO, CASTVS, DALMATIVS.

MACED.

Hic tun' adhuc ſpatiaris iners? iam ſingula Præco
Cõpita debueras obiiſſe. PRAEC. *Reuertor, ad vnguem*
Re confectâ. MACED. *Adeone celer circumiueris vrbem!*
PRAEC. *Non: at verò viæ in medio vt popularia primùm*
Agmina clangenti lituo concire per vrbem
Apparo, ſeſe heros mihi fortè Leontius offert
Obuius, vnde pedem, quæ portem nuncia, poſcit:
Edoceo cauſam aduentus, ne voce Senatus
Euulgem conſulta, vetat, proditque latentem
Ambroſium, quem clauſa ſui penetralia tecti
Abſtruſum ſine teſte tenent. MACEDO. *Illò ocyus omnes*
Acceleremus. POPVL. *In hoc opere eſt prudenter agendum.*

C CAST.

CAST. *Ne contingat eum nostris erepere cautim*
E manibus, iam prouideat sibi quisque. POPV. *Cauendum est.*
SIMPL. *Si renuet, cogendus erit.* MACED. *State agmine denso*
Pro foribus, dum nos penitas lustrabimus ædes.
DALM. *Spernit humum virtus; pennâ fugiente sepulchrum,*
Nescia cælari, refugit; claudique tenebris
Indignata, petit cæli conuexa per auras.

SCENA DECIMA-QVINTA

Iidem qui in superiore scenâ cum Ambrosio.

CAST.

EXijt Ambrosius latebras, manibusque tenetur.
SIMPL. *Ambrosi, honoratos tibi quos Ecclesia fasces*
Obtulit instigante Deo, ne reijce: votum
Ac desiderium cernis commune: reposci
Te per aperta, quibus Deus vrget, signa, negare
Non potes: attentesne fugam? frustra: namque obice multo
Effugij tibi clausa via est: vis porrò diploma
Imperiale videre oculis, quòd vt infula cingat

Sacra

Sacra tuum caput, edicit? lege, perlege. AMBRO.
Vincor,
Inuitusque oneri, quod sentio viribus impar
Subdo caput: satis est mihi tentamenta sub Isse
Omnia, quæ varijs humana industria formis
Edocuit subeunda: Deo iam denique testor
Cedendum: faciat leuius patientia, quicquid
Correxisse nefas: tamen à Baptismatis amne
Antè lauer peto, ne veteris contagia culpæ
Turpificante meam maculent aspergine mentem,
Impediantque dato purè ne munere fungar.
SIMPL. *Quandocumque voles tingi Baptismate, voti*
Compos eris. AMBRO. *Ne me verò Arianus oliuâ*
Imbuat, attrectetue manu sacra flumina, ritu
Impuro baptisma volens conferre, caueri
Peruolo: Christiadûm sancto me fonte lauari
Gestio. SIMPL. *Qui desiderio Deus influit, ille*
Influet & voto, dabit &, vir magne, quod optas.
Fusuri intereà cœlo gratissima laudum
Cantica, collato nobis pro munere, templi
Interiora, reuiuenti cum plebe, petamus.

Paulin. in vita Ambrosij.

CAST.

Ambrosio Crocodilus honos: fugit ille sequaces
Longiùs hoc quo stant propiùs, sequiturque fugaces.
Arianus auet mitram: fugit illa sequacem.
Ambrosius mitram refugit; auet illa fugacem.

MACEDO.

Ei! suspecta mihi sunt clandestina loquentûm

Consilia hæc: vereor nostris conatibus hostem
Aduersum turba ista suis affatibus armet.

MERCVR.

Præcludenda via est: Iustinam adeamus & Aulam:
Tundamus cuneis cuneos, & crimina contra
Crimina (nostra fides ne tandem euicta labascat,
Neu moriamur in exilio tabente) feramus.

DALMA.

Formido tamen, incassum, ingratoque labore
Omnia iam præfata ineas molimina: namque
Itala quamdiu sceptra Valentinianus habebit,
Nostra inculta fides, inhonora, inglora semper
Vilebit. MACEDO. *Quia neruosè Iustina tamen stat*
Hac nostrâ de parte, nihil tentasse nocebit.

SCENA DECIMA-SEXTA.

PERIOCHA.

SEptimo post Gratianum in Augustum & Cæsarem creatum anno, Valentinianus eum monet vt dum in Quados bellum gesturus proficiscitur, prudenter administret imperium non sine Ambrosij consilio.

VA-

VALENTINIANVS senior, & GRATIANVS.

VALENTI.

QVando ego te, Gratiane, mei felicibus ausis
In partem Imperij transmisi, auxique coronâ;
Sauromatumque acies, flammamque ensemque minatæ
Pannonios populantur agros, Italisque propinquant;
Bellaces nunc tempus equos, nunc poscere currus,
Nunc mihi loricam, nunc fidum accingere ferrum,
Nunc instructa virûm turmis hostilibus arma
Obuia ferre, fides sancta, & Respublica cogunt.
Intereà prudenter ages, prudenter habenas
Accepti Imperij, Ambrosio tibi consule, flectes.

GRATIA.

Ardua res, cuiusque graui succumbere moli
Pertimeam, venerate parens, imposta tenello
Imperij tanti vastissima cura: sed illam
Quà dabit auxilium Deus, Ambrosiusque, feremus.

VALENT.

Si Deus, Ambrosiusque tuas director aget res,
Prudenter tibi commissum moderabere regnum.
Nunc inuado viam. GRATI. *Deus hanc, Superique secundent.*

ACTVS SECVNDVS.

SCENA PRIMA.

PERIOCHA.

TRecẽtesimo vnde octogesimo Christi anno, Gratianus cùm reuocaretur in Gallias ob Alemannos rebellantes, Imperatoris absentiâ, & Orientali clade Sirmij agẽs, adoratoque Numine, publicis Comitijs militaribus creat Orientalis imperij in locum Valentis defuncti Theodosium Imperatorem, annum agẽtem ætatis tertiũ supra trigesimum.

GRATIANVS, PROBVS, THEODOSIVS, POPVLVS.

GRATIA.

Postquam summa dies & ineluctabile fatum
Imperium, vitãque patri, patruoque Valenti
Abstulit, amborũque mihi transmisit habẽda
Sceptra; animo quæ nunc sententia surgat, inaudi
Dux Probe. PROB. *Contentas aures in verba loquentis*
Arrigo. GRAT. *Viginti quoniam iam & quattuor annos*

Vix

Vix mihi vita dedit, maiorque impensiùs annis
Imperij data cura humeris incumbit; (Eous
Orbis enim, atque Europa meâ subit arte regenda)
Acciri properè volui Theodosium ab oris
Hesperijs, qui cum imperij omnipatentis habenas
Partiar, & curas: super hoc, quid consulis? omne
Quippe ego sustineam vt pondus, sum viribus impar.
Insuper, vt pater abscedens iniunxerat, altâ,
Principe me, cupio res Itala pace quiescat
Cum totâ Hesperiâ. PROB. *Dilaudo, Auguste, proboque*
Consilium rebusque tuis, rebusque tuorum
Vtile: namque acies en barbara tendit ab Istro,
Conata Illyricos Thracasque exscindere: parte
Ex aliâ, Gallis Alemannia robora stragem
Intentant. GRATIA. *Ergò poterit Theodosius horror*
Armorum, augendæ fidei, populoque regendo
Vir facilis, quicquid Libiæ est, Asiæque tueri
Promoderante manu, curâque vicariâ; egoque
Germano cum fratre Italas moderabor habenas.

PROB.

Nulla subit rectæ potior sententia menti.

GRATIA.

Euge, vocato virum: intereà caua buccina vulgum
Ad spectacla vocet. Me auri argentique cupido
Nulla tenet: fidei rebus, regnique quieti
Consulo. Multiplici, Theodosi, exercita bello
Dexteritas tua, cum rarâ virtute, fideque,

Socrates l. 5. &c. 2. Aurelius Victor in Theodosio.

A quibus Hispanis meruisti nomen in oris,
Te mihi in Imperij vt sortem, partemque coronæ
Adiungam stimulat, premit & victoria in hostes
Barbaricos cladem per Thracia rura ferentes,
Parta tibi. Ergò Asiæ posthac moderabere frenos.
Ne verò quis obex, neue vlla molestia surgat,
Nunc ego te Augustum pronuncio, nomino, firmo,
Et creo: felicis cape non indebita regni
Quæ tibi pro meritis insignia cófero. POPVL. *Viuat,*
Salueat, æternosque regat Theodosius annos
Orbem Asiæ. THEODO. *Me tanto equidem non dignor honore,*
Quæ tamen immerito voluisti afferre, tueri
Conabor: sceptroque tuo nutuque paratum
Me, viresque meas cum milite semper habebis,
Sors læta, aut aduersa cadat. GRAT. *Tibi iura, Deűq;*
Commendo atque fidem. THEOD. *Nihil his antiquius esse*
Et fore polliceor. GRATI. *Cui sunt cœlestia curæ,*
Ille est Cœlituum iustißima cura: sed, ito:
Et partes Orientis habe, dexterque guberna.
Nos Romæ imperium socio cum fratre geremus.

SCENA SECVNDA.

PERIOCHA.

IVstina quæ sex ante annos Sirmij exagitauerat Ambrosium ibidem constituentem Episcopum Anemmium, vehementiùs cun-

eundem posthac exagitare incipit, mortuo Valentiniano seniore, & Gratiano, iuxta Sozomeni, Nicephori & aliorum sententiam, quamuis pugnet Baron. to. 4. anno Christi 386. Idque hortatu Auxentij 2. qui quòd sciret Auxentij nomen Ciuibus Mediolanensibus odiosum esse ob Auxentium seniorem, loco Auxentij dici voluit Mercurinus, teste ipso Ambrosio in Auxentium.

IVSTINA, MERCVRINVS.

IVSTI.

Mercurine Dei interpres, scis me hactenus imo
Corde fidem Arij clausam tenuisse, nec illā
Ore, maritali stomachoque, iræque timentem
Testari potuisse palàm? MERCVR. *Regina, mihi nil*
Testis opus: tua namque omni spectata fides est
In populo. IVST. *Deinde vt toti spectatior orbi*
Sit, faciam. Nihil est posthac quod inerte mariti
Muta metu formidem animi vulgare latebras,
Conceptamque aperire fidem: iam denique morti
Occubat: immodicos qui me tenuere timores
Abstulit: hos habeat secum, seruetque sepulchro:
Postea nullus erit qui me formidine turbet.
Felicem demum experior, quæ lege soluta
Coniugis, ipsa sui subiectorumque, magistra est.
MERCV. *Viues, æternūque feres per secula nomen,*
Si fidei, Regina, tuæ sis fœmina vindex.
IVST. *Sed me, Mercurine, doce, quæ copia facti,*

De Ariminensi cõcilio, pro quo edictum tulit Valentinianus Iustinæ matris impulsu vide l. de fide Catholica Theod. Baron to. 4. anno Christ 386.

Quisue modus. MERC. *Primùm, quæ Arimini nuper in vrbe*
Constituere patres, rata fac: Nicæa reuelle
Concilia, atque hoc à fonte miserrima clades
Deriuata obices rumpet, sternetque labores
Christicolûm. IVST. *At fierine queunt quæ consulis?* MERC. *Illa*
Principiò grauiora quidem, non obsto, futura
Sunt, verùm Imperij vis inuiolata necesse est
Omnia perrumpat. IVST. *Non vi, sed amore, vel ore*
Facundo malim tentare negotia. MERCV. *Lingua*
Est illex, blanditur amor, non pernego: verùm
A populo decet Augustum, Augustamque timeri.
IVST. *Arma rebellanti si plebs accensa tumultu*
Corripiat? MERC. *Collecta acies ferrumque tuētur*
Principem. IVST. *At Ambrosij, nescis, tela omnia contra*
Infractos animos, vocemque imperditam? acernus
Est; immò (quod tute probas) adamãtinus. MER. *Vnũ*
Arma, animaque tuum natum, nostrisque nouellum
Imbue legibus. A teneris assuescere multũ est.
Quas vitæ morumque vias ingressus ephœbus
Iuerit, has nunquam senio inclinante relinquet.
IVST. *Ibo, meo hanc nato, te consultore, suaui*
Instillabo fidem cum lacte: vocatus ad Aulam
Ne tardes reuenire. MERCVR. *Mora est damnosa: recurram.*

SCE-

SCENA TERTIA.

Ambrosius contra persecutionem Iustinæ & Arianorum armat se constantiâ.

AMBROSIVS.

Postquam solicitæ spinosa negotia terræ
Sunt commissa tuo Satyro, & bona patria templo
Pannosoque hominum generi, caræque sororis
Vsibus ac pensis vitæ (quàm longa futura est)
Digestim partita vides, ne deînde solutum
Angoris te crede metu: nam plurima circum
Turba fremet, quæ lentum adimat de nocte soporem,
Ambrosi: honoratas tibi quas Ecclesia curas
Imposuit, licet obnixo, requiemque petenti,
Cernis vt implicitas rebus communibus aures
In diuersa trahant? vt sollicitudine vires
Eneruent, animumque graui sub mole fatigent?
Temporeque ex illo, ruptis quando impete venis
Intempestiuâ cæsus, curæque leuamen,
Sublatus tibi morte Valentinianus obiuit,
Irrequieta magis sine pace timenda quies est.
Ille quidem tibi, quæ velles euellere, quæue
Plantare, ædificare, exscindere, vertere fundo,
Distrahere, incensus virtutis amore, sinebat.

Testatur

Testatur quæ nobilium de pectore mœret
Profligata cohors vitiorum, & Curia mores
Virtutesque induta nouas: nunc porrò procellam
Luctificam, & nimbos, tempestatesque propinquas
Turbine surgentes piceo, præsaga mali mens
Præcipit. Ingentes turbæ, curæque, laboresque,
Atque inimicitiæ, ac duræ certamina pugnæ
Omni me de parte manent, & fœta malis mors.
Sed quid ego hæc autem incassum querulosa reuoluo?
Ad pacemne, ad amicitias, atque otia vitæ,
Agmen Apostolicum, rabidis data præda tyrannis,
A Christo emissum est? nisi pœna, angustia, crux, nex,
Me maneant, non sum Christi deuotus amori,
Sed mundi vexilla sequor. Meminisse necessum est
Qui mihi grex, quantâ dubias onerata per vndas
Merce ratis, quantusque animarum exercitus olim
Sit commissus: ego horrendis terroribus angor,
Atque minis, quibus Ezechiel dum cœlica differt
Iussa sequi, septemque dies tacet, incusatur:
Si mortis damnatâ animâ conniveris, illamque,
Vt sceleri absistat, non commonefeceris, inquit,
Ipsa suo sceleri immorietur, egoque requiram
Mortem eius (damnum nullis reparabile seclis)
Abs te: ingens onus hîc, metus hîc miscentur in vnum.
Comportandum humeris onus est: metus interim ad aures
Personet, inuidiâ vt maior, cruce maior & irâ,
Maior amicitiâ, maior popularibus auris,

Mundi

Mundi opibus maior, maior formidine, maior
Morte, gregis curæ non desim, onerique gerendo.
Vindice Iustinâ Arius respirat: in iras
Si Iustinam acuo pesti obluctatus, & Aulam
Offendo: offendam: non hæc me commouet Aula;
Nam potior mihi stat superis in sedibus Aula.
Inconstans ergo Aula vale, vale Curia, si me
Increpitantem audire negas, refugisque monentem.

SCENA QVARTA.

PERIOCHA.

MErcurinus, aliàs Auxentius, Iustinam & Valentinianum iuniorem excitat.

MERCVRINVS, IVSTINA, VALENTINIANVS Iunior, PROBVS.

MERCVR.

VIdi oculis hæc ipse meis, hæc auribus hausi,
Omnia quæ retuli verax, Augusta: nec hasce
Dissidij pestes priuatis ædibus ipsi
Tantùm in te natumque tuum peperere, sed vrbe
In mediâ, medioque foro. Nisi protinus omne
Concilium infringas, serò causse dolebis.

IVSTI. *Concilium coeat, consultoresque, caueb.*

Niceph. l. 12. c. 19

VALENTI.

VALENTI: *Instillata meas fidei documenta per aures*
In fibras animi, arte tuâ atque labore magistro
Sunt antiqua, parens, sunt vera? IVST. *Fidelis, auita,*
Patria, vera tuas fidei documenta per aures
Infudi, mi nate: caue te distrahat anceps
Et variè nutans animus: sin, degener ires
Præcipiti in vitium lapsu, mortemque. VALENT. *Labante*
Non quòd ego in diuersa ferar, vel dispare nutem
Consilio, ista, parens, sum percunctatus: at vnum
Quod mirer: tot nempe meum per tempora patrem
Hæc patiente tulisse manu contagia latè
Scintillare per imperium. IVSTI. *Decrerat ab ipso*
Principio, impuri ferro rescindere summi
Vlceris os, nisi Sauromatas infesta ferentes
Pannoniâ populatâ Italis vestigia terris
Aggressus foret Imperio detrudere, nisuque
In medio indignantem animam cum sanguine venâ
Disruptâ efflasset, fideique negotia nato
Seruasset peragenda Deus. Proînde omnia, tabum
Antè tui quàm se regni per viscera fundat
(Namque alitur vitium, crescitque tegendo) perurge,
Profliga, restingue malum: tua cura, salusque est.
Si patrij sceptri, patrij si nominis hæres
Es; patriæ facsis virtutis & hæres.

Socrates l. 5. c. 11.

Theodor. l. 5. c. 13.

Sozomen. l. 7. c. 13.

VALENT. *Nusquam abero, nusquam deflectam à patre: remitte*
Has curas, dilecta parens: iamque omnia faxo
Sint rata per Latium, quæ Arimini, vt dicis, in vrbe
Constituere Patres. Si quis mea iussa refellet,
Sit princeps, sit vulgaris, sit Episcopus, vrbis
Exilio (ne quid grauius) mulctabitur. Antè
Hortabor tamen Ambrosium, ne dicta refutet.
IVST. *Res peragenda breui est, ne differ.* VALENT. *Adibo: volentem*
Si potero Ambrosium à proprio deducere sensu,
Et mea concordem votis in vota vocare;
Cætera, præsumenda mihi est victoria. PROBVS. *Sacris*
Confectis templum egreditur. VALENT. *Dic ipse loquutum*
Adueniat. Vereor mea ne consulta refellat:
Si faciet, patrijs ibit de finibus exul.

SCENA QVINTA.

PERIOCHA.

VAlentinianus hortatu matris agit cum Ambrosio de Concilio Ariminensi obseruando: cui obnititur Ambrosius.

PRO-

PROBVS, VALENTINIANVS, AMBROSIVS.

VALENT.

*Optime denato semper dilecte parenti
Germanoque meo, Antistes, quem pectore toto
Accipio, veneror que; mihi scis credita latè
Omnia ab Occiduo quæ litora sole tepescunt
Imperitante regenda manu; atque incumbere, cana ut
Sarta fides ac tecta, Patrum de lege, colatur;
Neu quis eam spurio temerator adulteret ore:
Quod fieri secus imprudens intelligo magnis
Impensis fidei. Ergò operam da dêinde per omnes
Insubrûm Ligurumque Vrbes decreta teneri
Inuiolata, Patres quæ Arimini nuper in vrbe
Constituere.* AMBROS. *Tuo, quæ vox, Auguste fidelis
Progenies animosa patris, malè decidit ore?
Quam namque à teneris animus tuus imbibit annis
Inscius, & culpâ vacuus, iamque asserit acri
Ore fidem; illa tuo est diuersa per omnia Patri,
Quod, mihi si dociles dabis hîc humaniter aures,
Te planè, & breuibus verbis, Auguste, docebo.*

Iidem Autores qui supra,

VALENT. *Audio.* PROB. *Nequidquam Augustus, frustraque laborat,
Credo: catus nãque Ambrosius prudẽsque futuri est,*

Infra-

Infractusque animi: quorsum Imperialia tendent
Verba, superque fide decreta roganda, videbit,
Nicenæque tenax Synodi prius omne subibit
Tormenti genus, atque animam in certamine ponet,
Quàm Latio decreta sinat pugnantia ferri:
Nullus eum terror franget. AMBROS. *fuit ista tuorum*
Indubitata & honora fides, Auguste, parentum.
Insyncera tua est, mendax quam Arius in orbem
Inuexit. Patriæ ergò domus & nominis hæres,
Esto simul patriæ fautor pietatis, & heres.

VALENT.

Es mihi multa satis non intellecta loquutus,
Ambrosi, inexpertâ pro pubertate: domi rem
Discutiam, ne me subnubilus error ephœbum
Fortè dolo circumveniat: tu, si qua tibi vis
Consilij est, nostrum imperium violare caueto.

AMBROS.

Nunquam, Auguste, tuum imperium violare voluntas
Est, modò Cœlesti cum Numine congrua mandet:
Sin, potiùs fixum est cûiuis occumbere morti.

SCENA SEXTA.

SIMPLICIANVS conqueritur de Arianis, à quibus excitandas in Eccleſiam Mediolanenſem turbas prædicit.

Quò lacrymoſa Deus vitæ mihi ſæcula profert
Longiùs, hoc magis experior breuia eſſe, caduca,
Inſyncera hominis mortalis gaudia: nam quæ
Irrepſere ſinum in noſtrum pro Præſule rerum
Sacrarum Ambroſio, & præſumpto fine malorum
Lætitiæ; triſtes abitus caſuſque minantur,
Mærorumque nouâ cum tempeſtate procellas
Ingenti clamore vocant. Nec fallor: ad Aulam
Vidi egomet denſas (vicini nuncia motus)
Confluere & cogi turbas: vidi vltro citroque
Hæreſiarcharum cuneos ad Regia plenis
Tecta vijs raptim circumcurſare, ſuas vt
Peſtiferas viduæ Iuſtinæ in viſcera flammas
Proijciant, & proiectis alimenta miniſtrent.
Quis verò, ſi concipiant incendia vires,
Reſtinguet? nequit Ambroſius, cui vltricia non ſunt
Tela manu: Gratîanus abeſt vxorius: alter
Bello impar, necdum teneros egreſſus ephæbos

Fortè

Fortè venenandus Iustæ inficiente veneno
Officiet, quàm proficiet, magis: optimus ille
Cuius Athlantæis humeris innixa fidelis
Spes populi, cultusque Dei, & ciuilia iura
Hactenus incubuere, Valentinianus obiuit.
Nostra ergò stet nixa Deo, ne fortè cadat, Spes.

SCENA SEPTIMA.

AMBROSIVS Orthodoxos ad pœnitentiam & orationem contra persecutionem hortatur.

NVnc precibus, nunc est lacrymis incumbere tempus:
Nunc opus est obnixo animo nō cedere sæuis
Quas fex Ariana parat motare, procellis,
Relligiosa Deo gens, & fidissima Christo
Pectora: quarè agite, vnanimes cæleste petamus
Auxilium: nihil arma valent humana, nefasque est
Eneruis, cælo aduerso, confidere neruis.

SCENA OCTAVA.

Remanēte in proſcenio cum ORTHODOXIS AMBROSIO, eiſq; colloquente, ſuperueniunt ab Aulâ IVSTINA, VALENTINIANVS, MERCVRINVS, DALMATIVS quem Imp. mittit ad Ambroſium, vt ad Aulam Palatinam de rebus fidei diſputaturus veniat.

VALENTI.

I To, virūque voca noſtræ in penetralia ſedis?
Vt fidei cultuſque ſui de rebus agamus,
Imperij noſtri procerum præſente coronâ.

MERC. *Ipſe retractabit, credo, certamen, inaudax.*

IVSTI.

Tantiſper, mi nate, moras dum protrahet, intus
Præſtolare. VALENT. *Placet.* IVSTI. *Nobis*
Antiſtes adhære.

AMBROSIVS poſt pauca ad aurem à Dalmatio accepta.

Iſta tuo, mihine Auguſtus denunciat, ore!

DALMAT.

Iſta: leuique gradu properes, properare neceſſe eſt:
Namque Palatinâ medius te in claſſe moratur.

AMBRO.

Quæ legatus hic Auguſti mihi nuncia portet
Si refero, vehemens veſtram admiratio mentem

Per-

Percellet. POPVL. *Solitum nobis: nam Cæsaris artes*
Nouimus aduersas fidei. AMBROS. *Iubet imperiale tribunal*
Appetam, & arbitros fidei ad certamina coram
Augusto subeunda mihi, cum Præsule, vt inquit,
Mercurino. CASTVS. *Adeas, Præsul, regale tribunal!*
PAVLI. *Lis fidei Augustum subeat!* LEONT. *Sacra iura profani*
Pertractent! Præsul venerate, caueбis. ORTHOCHOR. *Iniquum est.*
Nolumus. LEONTI. *Augusti si ferueat ira, minasque*
Intentet, nos ense minas reprimemus, & iras.

AMBR.

Dalmati, inexcitos à me quos ciuica motus
Turba ciet, præsens audisque videsque: nec ire
Aduersùm queo: nostri igitur iam nuncius ibis
Augusto, nil me trepidum à certamine: ad illud
Ne tamen accingar, popularem obsistere turbam.
Fac me posse tamen; non addecet. Ergò, profanis
In rostris, dubijs fidei de rebus agendum
Esse putat? nil iudicium cœtusque forenses
Vita sacerdotum tangit: sin, laicus altis
Disputet è rostris: auditor Episcopus esto:
Res fidei condiscat Episcopus; esto magister
Laicus, & sacra iura procax sursumque, deorsumque
Euortat: si quisquam aueat certamen inire,

Ambro. epistola 13. ad Valent. to. 5.

Templa petat: neque eum teneo, neque vota refello.
Non hæc Constantinus ei sectanda reliquit
Et morum, & vitæ, & fidei documenta, profanis
Quando potestatem Cleri rerumque sacrarum
Imperio sancto eripuit, neque in ordine toto
Pontificum voluit fidei discernere causam.
DALMAT. *Hæc ego si Augusto responsa proterua reportem,*
Non stabunt paruo tibi, nec popularibus armis
Imperium contra discordibus. AMBROS. *I, Deus hac stat,*
Nostra tuâ portanda manu sit epistola testis.

ORTHOD.

Nos nubem irarum Imperij, stomachumq; feremus.

AMBROS.

At potiùs per vota Deum, quo consule ruptum est
Consilium Achitophel, quo principe fœmina turmas
Assyrias, Ducis exsectâ ceruice, fugaces
Dispersit fuditque; suum à frendente luporum
Ingluuie, velit ipse gregem seruare precemur.

LEONT.

Curandum interea templi penetralia densus
Miles vt obstipet, strictisque obsepiat armis.

AMBRO.

Vim sine vi, bellum imbelle, armaq; inermia frustra
Horretis, si nos Deus armorum vndique cingat:
Ille salus nostra est, & spes. ORTHOD. *Spe hac stamus.* AMBR. *Apertis*
Templi igitur valuis in vota precesque vacemus.

SCE-

SCENA NONA.

PERIOCHA.

VAlentinianus mittit Gothorum cohortem ad Basilicam, vt Ambrosium ad se rapiant.

VALENTINIANVS, IVSTINA, CHILIARCHVS & Gothorum cohors.

VALENT.

ITe Gothi celebres armis, inuadite in ædem:
Sit via vi, clausique aditus rumpantur: adulta est
Prona viri in turbas effrons audacia: adulta est
Infanda Imperij violati iniuria: adulta est
Regni in dissidium inclinata proteruia. Vilem
Presbyterum Augusto verbis vultuque procaci
Seditiosa ciente viros ad tela, negare
Aduentum! affatus & verba negare! negare
Iudicium Imperio! quid deinde sequetur? adulta est
Longanimis quanquam pueri patientia: adulta est
Acri bile tumens iecoris vis impos: adulta est
Offensæ maiestatis pro crimine pœna.
Quid, perstatis adhuc? hastasque tenetis in armos
Reclines, residesque? diu ten' oportuit Isse

Niceph. c. 14.

Socrat. l. 5 c. 11. Theodor. l. 5. c. 13. Sozom. l. 7. c. 13.

Ad templum, Chiliarche? CHILIAR. *Tua hîc extrema manebam*
Iussa, Italis venerate viris Auguste: quid vrges
Conferri, simul ac templum insistemus. VALENT. *In imum*
Templi, inquam, penetrale truces irrumpite, sæuâ
Ambrosiumque manu raptum mihi sistite. CHILIAR. *Iussus*
Ne qua mora importuna tuos, Auguste, retardet;
Iamque viam peltati omnes inuadimus. VALENTI. *Ite.*
Nunc ad te & tua, cara parens, consulta reuertor.

SCENA DECIMA.

PERIOCHA.

METanites vir quidam de hæresi Arianorum acerrimus disputator, & inconuertibilis ad fidem Catholicam, in Ecclesiâ tractante Ambrosio, videt Angelum ad aures eius loquentem: quo viso conuersus, fidem quam oppugnabat cœpit ipse defendere.

METANITES, AMBROSIVS.

META-

METANI.

ARianus ego licet à matrice parentis
Atque iuuentutis primæuo limine perstem;
Christiadûm tamen ingrediar delubra, virumque
Ambrosium, cuius facundia rara per orbem
Illyricum multo cum nomine diditur, aure
Excipiam, atque viro si concinat aura, videbo.
Ecce autem sese ad dicendum comparat: ohe!
Quid video! Iuuenis fulgens illi adstat ad aurem.
Prospiciam qui finis erit, cur tempora circum
Hæreat, an verba Ambrosio, sensumque ministret.

Paulinus in vita Ambro.

AMBROS. *Grex hominum peramate Deo.* METAN. *Quasi stillet in aurem*
Ambrosio sua verba, facit. AMBRO. *Quia conspicor ora,*
Aurem, oculos, animos vos in mea verba profusos
Arrigere, & certas fidei præsentio turbas,
Mortalesque hodie tumulo rediuiuus ad auras
Lazarus (vt cantu audistis) processit; ad arma
Et fortes virtutum acies, quæ hostilia frangant
Robora, quæ Arium contra, Ariique phalangas
Vos animent, circumque tegant, vt quisque paret se
Commoneo: nam [illegible]pe præsumere bella necesse est.
METAN. *[illegible] in nos acuens exasperat iras.*

AMBRO.

Ergò pre[illegible], culpam ergò fatiget
Pœni[illegible] missa piacula purgent,
Vt [illegible] erumpere sit fas.

 METAN.

METAN. *Vota, preces, lacrymæ, belli noua forma futura est.*

AMBR.

Immodicas vestro de corpore ponite pompas:
Quæ nostris properè ceruicibus imminet atra
Tempestas, non illa petit sine lege fluentes
Barbaricoque leues luxu gestetis amictus.
Cur autem vir fœmineo, contraque virili
Fœmina luxuriat cultu? neque congruus ille est
Naturæ, neque temporibus. METAN. *Nostrum asper in æuum*
Inuehitur luxum & pompas. AMBROS. *Quid fœminam, inanis*
Vir mentire? virum mollis quid fœmina fingis?
METAN. *Vera refert: sexum cultu, vir, fœmina fingunt.*
AMBROS. *An natura sagax sexum non induit omnem*
Veste suâ? voluitque viro sit fœmina dispar
Viribus, incessu, motu, vsu, voce, colore?
METAN. *Dux vitæ Natura bona est, paucique sequuntur.*

AMBROS.

Contemplare feras, quas & natura creauit
Dissimiles: nam vi atque sono quam immanè leæna
Discrepat, & leo! pauoni quàm sirmate differt
Paua suo! quid de pullis? quàm voce canora est
Gallus! auetne suam speciem mutare? METAN. *Pudebit*

Morta-

Mortalem iustè hæc pensantem verba. AMBROS. *feræ nos,*
Quos ratio longo discriminat interuallo,
Exsuperent? speciem haud mutant, mutabimus? METAN. *Aequant*
Bruta viros? pudor est. vincunt? est dedecus. AMBROS. *Esto:*
Aemula sit sexus, Græco de more, virilis
Fœmina: de virtute viros qui fortia ducunt
Nomina, ceu fortes, formas effingere sexus
Debilioris, & inualidum ingenioque animoque
Mentiri genus infames nunquamne pigebit?
METAN. *Attonor hîc: neque enim Ambrosius verba vlla, nec vllum*
Concipit affectum, nisi suppeditante ministro hoc
Pubere, qui pronæ dicta omnia suggerit auri.
AMBROS. *Ergò comas si, desipiens vt fœmina, crispat*
Vir, pariat: vir parturiat: vir lactet, vt omnis
Fœmina. Sed metam egredior: deponite luxum,
Adspersas animis maculas detergite fletu,
Et Deus euicto fidei dabit hoste, triumphum.
METAN. *Feruet ei pectus, feruet facundia, feruet*
Os cum mente: tamen non hæc sine Numine, Diuoque
Auxilio tam rara viro contingere posse
Crediderim: neque mortalem reor esse ministrum,
Talia qui patulam dicenti verba per aurem
Insinuauit: is est certè cœli Angelus. Ergo

Quid

Quid moror? Arium quin protinus execror? atro
Quin piceam nunc excutio de pectore noctem,
Quam malè prouiso iniecit furiosiùs olim
Dum pastorem ageret demens Auxentius? Ibo,
Ambrosiumque sequar, meque eius, pectore toto
Proÿciam ad plantas: procul Ariana facessant
Dogmata: Christicolas, Christumque tuebor, & aras.

SCENA VNDECIMA.

GOTHORVM cohors, CHILIARCHVS, PVERORVM chorus, FLORVS, MEGALOPHOEBVS, MICROPISTS, AMBROSIVS, LEONTIVS, CASTVS, PAVLINVS, ORTHODOXI.

FLORVS.

M*illes habet vicos.* GOTHI. *Inuadimus?* MEGALO. *obÿce valuas.*
GOTH. I. *Obiecere fores.* GOTHI. *Irrumpimus?* CHILIAR. *Expectate:*
Altera fortè via est, atque vsus peruius. Eia
Oppositos valuarum obices mucronibus, hastis,
Impressisque pedum cuneis perfringite. LEONT. *Quæ vis?*
Quæ fera vos rabies, quæ vos furialis Erynnis
Dementat? CAST. *Sacra sacrilego perfringere templa*

Impete!

Impete! GOTHI. *Quærimus Ambrosium.* AMBR. *Nil roboris vsus,*
Nil opus æratas in templum inducere turmas,
Vt nihil obnixo mihi ferrea vincula circum
Detis, & ad vultum Augusti rapiatis inermem.
Ecce ego sponte meam ceruicem obiecto: ligate,
Tundite, sternite: si fidei defensor obibo,
Mors mihi vita. CHILIAR. *Procax blatero, mox ista procax mors*
Abrumpet tibi verba: pedem citò promoue. LEONT. *Ademptum*
Pontificem nobis ciues patiemur! auitæ
Non fidei oppressæ, non Relligionis inultæ,
Non magni Ambrosij segnes miseretque pudetque!
Ciuica pectora, ad arma manus: me me duce ferrum
Corripite, ô ciues.

SCENA DVODECIMA.

Reliquis in proscenio manentibus, superueniunt opifices, CREVRGVS, MACHÆRISCVS, PYRAGMON, SCAPHIOPHORVS, SITVRGVS, quaterni Singulorum Opificiorum.

PYRAG.

PYRAGMON cum ſuis.

QVò tela, manuſque? MACHERISCVS cum ſuis. *Quis hoſtis?*

CREVRGVS cum ſuis.

Quanam vrbis regione furit? SCAPHIOPHOR. & ſui. *Qui caſus agit res?*

LEONT. *Ambroſium Auguſti miles rapit.* SITVRGVS cum ſuis. *Obnitamur.*

LEONT.

En miſerè trahitur, conuellitur indefenſus.

PYRAG. *O nimiũ confiſa tuis gens barbara telis.*

MACHER. *Exleges vileſque Gothi.* SCAPHI. cum ſuis. *Tantùm vtile prædæ*

Latronum capulare genus. CREVRGVS cum ſuis. *Deſiſtitis auſo?*

PYRAG. cum ſuis. *Nec prædam excutitis manibus? mactentur.* MACH. cum ſuis. *Inulti*

Diſpercant. SCAPH. cum ſuis. *Non ſit, cladem qui nunciet: omnis*

Aduena colluuies Italâ tumuletur arenâ.

LEONT. *Retro miles abi, vaginâq; imbue ferrum:*

Ni properas, iramque premis, furiaſque coërces,

Nunquam hodie cæli tenebras, noctemque videbis.

GOTH. I. *Vertere terga Gothos!* TERTIVS & QVARTVS. *Turpi formidine ſegnes*

Vim populi trepidare Gothos! QVINTVS & SEXTVS. *Vulgi impete pulſos*

Retro Gothos! SEPTIMVS & OCTAVVS. *Quanta hæc noſtræ eſt infamia gentis!*

Regre-

Regrediamur, & in vulgi media arma ruamus.

CHILIAR. *Nō alias vires diuersaq; robora sentis*
Miles? in aduersos populus denso agmine rumpit:
Incassum furis: Augusto populare referri
Dissidium, est potius: pòst, fortè redieris vltor.

SCENA DECIMA-TERTIA.

PVERORVM chorus insultans Gothis redeuntibus & victis à vulgo Mediolanensi.

OMNES SIMVL PVERI.

Phi! phi! phi! PRIMVS. *Quā miles iners!*
SECVNDVS. *Phi! plumbea prorsus*
Corpora! TERTIVS. *Phi! resides animi!*
QVARTVS. *Phi! barbara gentis*
Fex! QVINTVS. *Illos glebis, saxisque petamus. Adeste*
Huc pueri: pueri coeant, puerilia que arma
Corripiant, & pro templo, pro Præsule pugnent.

SEXTVS. *Magna patrum referant benè nati pectora nati.*

SEPTIMVS. *Si fuerint diuo patres in amore fideles;*
Nati etiam diuo patres in amore sequantur.

OCTAVVS. *Ergò, agedum, pudeat nos degenerare parentum*
A pietate, fideque: patres nostri obuia contra
Hære-

Hæreticos, contra Imperium Imperijque tyrannos
Arma tulere, nihil veriti quos strinxerat enses
Barbaricus furor: & nostros trepidatio sensus
Inuadat! neque nos imitabimur acta parentum?
PVER. I. *Arianâ etiam vitiati vt peste puelli*
Nostram in amicitiam coëant, passimque plateis
In medijs nostris socialia lusibus addant
Agmina, degeneres sine vindice felle feremus!
SECVNDVS. O! *nunquam.* TERTIVS. *Nunquam, ô! generosa fidelibus orta*
Patribus, & Christi semel empta cruore iuuentus,
Baptismo periura, nefas hoc turpiter aude,
Nec permitte. QVARTVS. *Caue hæreticâ à propagine.* QVINTVS. *Longè*
Ortam Ariano sobolem genitore, fidelis
Progenies fuge. SEXT. *Amicitias illius, & vsu, &*
Colloquium execrare. SEPTIMVS. *Patrem sequitor sua proles.*
OCTAVVS. *Imò, nec illius mensis accũbe: nec illũ*
Per vicos vsquam si prodeat obuius, ore
Aut nictu saluere iube. PRIMVS. *Cane peius &*
angue
Declina Hæreticos. SECVNDVS. *Sunt ista leuissima: surcus,*
Quem stirps Ariana tulit, grauiora meretur.
Quisquis in vrbe fidem discorde fatebitur ore,
Illum implacatâ nos detestabimur irâ,
Atque odio. TERTIVS. O *nunquam dolituri, ô semper inertes,*

Sem-

Semper ô ignaui pueri, quin singula mecum
Vrbis oberrantes numeroso compita cœtu
Quæritis æqueuos iuuenes, quos lepra venenat
Ariana, & eos pugno pulsatis & ictu!

PRIMVS. *Quis nostri dux & Princeps erit agminis?* TERTIVS. *Autor*
Pugnæ ego dux vt sim, & princeps vestri agminis, adsto.
Stipitibus saxisque manus armate. QVINTVS. *Sequamur.*

PRIMVS.

Expectate: celer vobis armauero dextras:
Namque domi sudibus multis gemit area saxisque.

QVARTVS.

Hoc nodis grauidum robur caput obuium, & ora
Conteret. SEXTVS. *Hoc saxum librabo in tempora frontemque*
Aduersi. SEPTIMVS. *Nullusque mihi indonatus abibit*
Hac sude. OCTAVVS. *Quin terni mihi repperiuntur inermes?*
O! sed adhuc sileo. PRIMVS. *Tentandæ in verbera vires:*
Sic ego, sic feriam hæretico genitore creatos.

SECVNDVS. *Non tam præcipiti ruet actâ grandine densus*
Nimbus, vt hac incussa ruent mihi verbera dextrâ.

SEXTVS.

Quot stridente gement contusa hoc stipite terga!

SEPTIMVS.

Est odiosa mihi mora, sic mea dextera prurit,
Et certamen auet. OCTAVVS. *Quot membra, quot ora, quot aures*
Prosternam! PRIMVS. *Vos, ô puerilia pectora, ferre*
Ingentes animos angusto in pectore lætor.

SECVNDVS.

Præcipitemus, & aduersos animemur in hostes.

SCENA DECIMA-QVARTA.

CHILIARCHVS GOTHORVM, VALENTINIANVS IVNIOR, IVSTINA, MENIVOLVS.

CHILIAR.

EN Cæsar. VALENT. *Cur miles iners ad bellica, tecum*
Non rapis Ambrosium? CHILIAR. *Raptauimus, eluxatis*
Vi templi foribus: dumque huc perducimus, ecce
Mox populi furibunda manus coit omnis in vnum,
Et nostrum in cuneum confertim impingit: adacti
Hinc numero potiore sumus deccedere turba,

Et noſtram indomito prædam ſummittere vulgo.

VALENT.

Heu! furijs agor. O regna infelicia, quorum
Rex puer eſt! ſi par ætas, & idonea bello ac
Vindictæ foret; ô! vanas at omitto querelas.
Alma parens ſuper Ambroſio decerne: meaque
Omnia ſigno manu: nos de popularibus armis
Conſilium interea pariter capiemus. IVSTINA. *Inanes*
Poſtquam operas hauſit miles, quid fœmina poßit
Experiar. Tene incœpto deſiſtere victam!
Nec decreta queas Arimini, inducere regno!
Non: vnus vetat Ambroſius: res mira, vetari
Iuſtinam Ambroſio: Samariâ extrudere terrâ
Iezabel Eliam potuit, Vatumque cateruas
Ingentes paßim immani concidere leto
Vnius ob noxam & furias dementis Achabi:
Ipſa Herodis amans Herodias, impermiſſum
Quæ violans fas atque nefas inceſta cubile
Aſcendit, Baptiſtam atras in carceris vmbras
Compegit, væcorſque amente libidine, Vati
Meſſuit enſe caput, poſuitque in fercula menſæ:
Aſt ego Romanas quæ Diua Auguſta per arces,
Per Latium, quemque illuſtrat ruber Heſperus orbem
Incedo Auguſti genitrix veneranda, tot vno ab
Ambroſio patiar moroſa negotia, ſanctam
Propugnare fidem Arÿ dum conor! & vllus
Dêinde poteſtatem Iuſtinæ & nomen honoret?

Non impunè sinam, non perferam inulta, sed omnes
Quas viuax dabit ira vias feritatis, inibo.
Meniuole, actutum celeri graphiaria velox
Tolle manu: nostris exscribe diplomata votis
Congrua, dissidium vt citra, seruentur ad vnguem
Cuncta, Ariminensis quæ Patrum concio quondam
Decreuit. MENIVOL. *Quianam?* IVSTI. *Sit pro ratione voluntas:*
Sic volo, sic iubeo: exsilium insuper adde proteruis,
Et nostrum imperium obstrepero vellentibus ore.
Immò etiam capital, si quis contempserit, esto.
Euge leui sollers deduc hæc pollice: teque
Qui modò es Archigrammateus, maiore beatum
Sublimabo gradu. MENIVOL. *Hāc moliri talia cogit*
Liuor in Ambrosium. Officium hîc, & conscia virtus,
Meniuole, inter se pugnant: si iussa sequere,
Nicæam in Synodum impinges, Christūque lacesses.
Si refugis mandata sequi; irritabis in iras
Iustinam, officioque tuo spoliaberis: esto:
Fœmineas, quàm Christi iras incurrere malim.
Laudis, opum, officij, patriæ, vitæque putanda est
Pertenuis iactura: animæ, cœlique, Deique
Pergrauis. Augusta, ecce tibi mea balthea soluo.
Archigrammatei officium nomenque resigno:
Iamque vale. IVSTINA. *Non hæc mihi tanta proteruia abibit*
Impunita modò. MENIVOL. *Potiùs tormēta subibo*
Omnia, quàm adstipulante manu exsignauero legem hanc.

Aliàs Beniuolus. Ruffinus histo. l. 2. c. 16.

SCENA

SCENA DECIMA QVINTA.

MERCVRINVS, DALMATIVS cum Palatinis aliquot, in Portiana basilica, Imperatoris conopea suspensuris: FAVSTVLVS item & LEONTIVS, qui factum spectat.

DALMAT.

ARij gregis, & Fidei venerande Minister
Mercurine, tuum quæcumque negotia turbant
Implexumue tenent animum, sint intima, sintue
Extima, maturè sunt disrumpenda. MERCVR.
Quid vrget?

DALMAT.

Vt iam nunc operere aris. MERC. Quæ causa? quis author?

DALM. Solenni de more, sacro pro Paschate, votis
Indulgere parat pius Indoperator, eoque
Nos properante leues ad templa suburbica passu
Ire iubet, passisque illic tentoria velis
Figere, sub quibus incumbens in vota precesque

Cum populo Arij Auxenti Ique sequace, remotis
Christiadis, recolat solemnia festa. MERCVR *Mo-*
rarum
Ocyus ergo iuuat tolli retinacula, ne quid
De fidei cultu nobis decedat: agendum
Nunc prece, nunc precio est: iam fex popularis, inempta
Hactenus officijs, donis, & honoribus, omni
Quâ fieri poterit mentis ratione, paranda
Est hodie: fidei causâ, largitio fundum
Non habeat: cogendi omnes ad Porcia plenis
Templa vijs, pactis auri subtilibus hamis.
Faustule, præcurrente gradu, fac omnis in æde
Eniteat splendor, sitque accurata supellex:
Iam iam adero: vos, quæ iubet Indoperator, obite.

LEONT. *Quò sua tam festo vertit vestigia vultu*
Faustulus, & qui hilarum letâ cum fronte se-
quuntur
Ponè Palatini? at, quidnam inter brachia versant?
Indoperatoris sunt conopeia: quid istis
Prætendunt? signabo vias: sequar eminus: vrbem
Egrediuntur, & vnanimes ad templa feruntur
Porcia: ibine parant distendere Cæsaris vsu
Cortinas, ædemque sacram ad sua vota tenere?
Id facient, certum est: spectabo quis exitus orsum
Excipiet: res ecce, animus quod sagyt antè,

Am-
brof. e-
pist. 14.
ad Mar-
cel. 10. 5.

Accidit:

Accidit: vſurpant ſibi templa ſuburbica, pandunt
Conopeia adytis templi penetralibus: actum eſt:
Ariana phalanx importuniſsima, ſceptro
Imperij ſubnixa, fidem vt ſubuertat, & orbi
In populi exitium offundat ferale venenum,
Chriſticolas templo ſenſim prohibebit & aris.
Ne faciat, proceres vrbis populumque ciebo,
Vt validis vegeti tanta hæc molimina frangant
Viribus, impauidique, Dei pro nomine, perſtent.
At iuſto ne plura querar, neue apta querenti
Auolet eucairia, oculos per ſingula voluam
Compita, ſi fortaſſe meis obtutibus vllus
Occurſare queat fidei defenſor: ab hac ſtat
Parte Deus: nam quos glomeratos agmen in v-
num
Cerno fori medio, noſtris accommoda rebus
Pectora ſunt: illis, quæ vidi, ex ordine pandam.

SCENA DECIMA SEXTA.

LEONTIVS, ARGIRIODORVS, ARISTOPHONTES, ALCESIMVS, PHANOCRATES, ARCHONIDES, Puerorum in foro ludentium Chorus.

LEONT.

QVid, Proceres, lenti ſtatis? quid inertia miſto
Colloquio, imbelles deducitis otia? PortI
Interea templi in medÿs penetralibus, hoſtes
Poſt tot fruſtra aditas operas impunè triumphant.

ARGIR.

Quid memoras? ARISTOPHO. *Quos tu nobis, quos obÿcis hoſtes?*

LEONT. *Regia conopeia Dei diſtenta per ædem*
Stant, Regemque ſuum fex Ariana moratur.
Chriſticolæ templo deinceps diſcludimur, illud
Arius ſibi in hæreticos malè vendicat vſus.

PHANOCR. *Nunquam hodie PortI templum Indoperator inibit.*

ALCES. *Nunquam hodie quiſquam Arÿ de fece triumphum*
Et lætum pæana canet, ſua ſub iuga miſſum
Chriſtiadûm & Chriſti nomen, temploque fruetur.

LEONT.

LEONT. *Eia viri iunctas animis opponite vires.*

ARGIR.

Agmina qui iungant populares accio. LEONT.
Mortem
Oppetere in rebus fidei curaque sacrorum,
Aeternandus erit cæli super orbe triumphus.
Hæreticos operis, animisque audacibus ante-
Cellere Christiadis, pudor est: quò, numine Christo
Cætera, quæ cælis, terris, infraque videmus
Inferiora gradu, neruisque, opibusque minora
Sunt; hoc nos reliquis decet altius ire, nec auri
Iacturam, nec dira specus tormenta, rotasque,
Nec patriæ exsilium, tempestatesque minarum,
Nec mortes horrere: via hæc mollissima cœlo est,
Quam proaui triuere patres. At plura loqui me
Hora vetat: venit en vegetus multo agmine
ciuis.
Extemplò tentanda via est, quâ fortibus ausis
Excutiamus ab insesso tentoria templo.

ARGI.

Hos ego, sacrilegis pateant ne templa, vocaui.

SCENA DECIMA SEPTIMA.

Ciuium cœtus cum ſuperioribus & puerorum choro.

LEONT.

Regia conopeia hodie diſtenta per ædem
Extra muranam ſunt auellenda: reuulſa
Sunt iacienda foras: armis ne templa, vel arte
Occupet Auguſtus contra fas iuſque, cauendum eſt.
CIVES. *Pro templo effundemus opes animaſque.*
ALCES. *Gerendæ*
Autor ero princepſque rei: me quiſque ſequatur:
Irruo, & ipſe meis tentoria Regia primus
Conuello manibus. CIVES. *Non inferiora ſequemur.*

PRIMVS PVER.

Spectemus comites dubiæ certamina turbæ.

SECVNDVS.

Cunctabor: ſunt parua moræ diſpendia. TERTIVS. *Tecum*
Cernam etiam quò ſeſe anceps victoria vertet.

QVARTVS PVER.

Non dubium eſt noſtri quin palmam ex hoſte parentes

Accipient

Accipient. QVINTVS. *Spero: numeroque & viribus impar*
Namque Palatinus declinat prælia miles.

SEXTVS.

Vera refers! QVINTVS. *Refero, vt vidi, verissima: cerne:*
Egreditur præceps templo. SEPTIMVS. *Conopea nostri*
Subuectant humeris terras verrẽtia. OCTAVVS. *Ab aris*
Faustulus abripitur. NONVS. *Vix ora minantia & iras*
Euadet. PRIMVS. *Socij, certatim illudere capto*
Possumus: Arianus enim est, qui templa fidemque
Perturbat. ALCES. *Tantos impunè attollere motus*
Ausus es, & nostris exstructa altaria sacris
Vsurpare! lues commissa piacula digno
Supplicio. FAVSTVL. *Si, quæ iubet Indoperator, ad vnguem*
Exsequimur, vitio vertenda putatis, & illa
Sacrilegi vltores ad pœnam exposcitis? ARGIR. *Hem, nos*
Sacrilegos tu sacrilegæ dux perfide turbæ
Compellabis! eho! subeuntne obliuia sensus
Tanta tuos, vt cum Christo in Baptismate facti
Fœderis, & iam tum fracti sis immemor? olim
Dum sancto laueret tua crimina presbyter amne,

Non

Non venit in mentem, Triados te in nomine lotum?
Confessumque Patri æqualem cum Pneumate Natũ?
Quod malè sacrilego nunc periurißimus ore
Inficiaris, eum similem deitate Parenti,
Arÿ de more negans. ALCESI. *Quia criminis auctor*
Turbarumque faber princeps hanc eripis ædem
Christiadis, atque hæreticos distinguis in vsus,
Morte mihi mulctandus eris. LEONT. *Suspende lacertum*
Mucronemque, viri interitus ne exulceret iram
Augusti: satis est gentem exturbasse nefandam
Templi adyto, & nostris seruata altaria sacris.
Intereà referam Ambrosio, quo nostra loco res.
ALCESI. *Non tamen absistam, gladiumque irasque remittam.*
ARGIRIO. *Dum venio, Antistes, gladiumque iramque remitte,*
Ne verò apprensum manibus vinctumque remitte,
Vt mala, quæ in templum cœpit consulta, remittat.
FAVST. *Nemo adiget, cœpta vt, fidei pro iure, remittam.*
ALCESI. *Mors adiget, cœpta vt, fidei pro iure, remittas.*

PRIMVS PVER.

Hæc, socÿ, paribus studÿs operumque labore,
Hæreticis manibus PortI distenta per ædem
Conopeia, acie cultrorum in frusta secemus.

SECVNDVS PVER.

Illa voluptatum segetem, lætique laboris

Mate-

Materiem propter nostri certamina templi
Suppeditant. TERTIVS PVER. *Acie nos has*
scindemus, & vngui.

QVARTVS PVER.

Nos alacres istæc cæsim punctimque minuta
Frusta per, Hæreticâ incassum frendente caternâ,
Indignante Palatino, lacerabimus, auræ vt
Omnia discerpant, ventique per æthera tollant
Ludibrium. QVINTVS PVER. *Ecce, leues vt*
sparsa feruntur in auras?

Scissæ ab illudentibus pueris cortinæ regiæ. Ambro. epist. 14. ad Marcell.

SCENA DECIMA OCTAVA.

PERIOCHA.

POstquam cognouit Ambrosius cortinas regias à basilicâ sublatas, cùm eum illuc deposceret populus, direxit presbyteros & diaconos, qui Castulum eriperent iniuriæ.

IIDEM QVI SVPRA, CVM AMBROSIO SIMPLICIANO, CASTO, ET PAVLINO.

LEONTIVS.

IAm formido vacat: populus confluxit in
vnum:
Regia sunt auulsa tholis tentoria: restat
Ad templum velit Antistes procedere: vulgus

Vt

Vt sacris operere, auidè cunctatur. AMBRO. *Oborta*
Ne turbæ caput ac princeps diiudicer auctor
Hic residebo: mei sed verò Vicarius ibit
Simplicianus, & à Casto comitatus eodèm
Paulinus. LEONT. *Quem porrò trahunt in vincula ciues,*
Liber abibit? AMBROS. *Vbi est?* LEONT. *Prius huc quàm concita motu*
Ciuili trepidè ferrem vestigia, vinctus
A frendente trahebatur per compita vulgo.

AMBROS.

I citò, Simpliciane, virumque à funere solue:
Et cœptos trepidâ cum seditione tumultus,
Quà sinit ingenij ratio, fandique facultas,
Comprime, luctificæ ne sint ea crimina stragis.
Namque (fatebor enim) si, quæ nostrā adsonat aurē
Tempestas, illam infracto stabilique feremus
Pectore, ceu rupes circum latrantibus vndis
Obuia, frustratis, mora nulla, euanida bombis
Occidet, Augustusque fidem amplexabitur: addit
Hæc animos mihi, nixa Deo fiducia. Vobis
Nunc igitur superanda omnis fortuna ferendo est.

Ambros. ad Marcell. epist. 14. to 5.

LEONT. *Non deerunt animi ingentes: vt robora Christus*
Suppeditet, votis precibusque incumbe, rogamus.
AMBROS. *Vt faxim, bona verba Deus mihi suggerat: ite.*
Vix me contineo quin irrequiete tumultu
Eneruata leui laxem mea membra quieti.

ACTVS TERTIVS.

SCENA PRIMA.

PERIOCHA.

SAncti Dionysius, Eustorgius, & Myrocles, olim Mediolanenses Episcopi, commendant Sancto Paulo S. Ambrosium pro constantia cõtra Iustinæ & Arianorum insultus.

S. PAVLVS, S. DIONYSIVS, S. EVSTORGIVS, S. MYROCLES, AMBROSIVS.

S. DIONYS.

Paule procellosis infracte tumultibus, omnem
Dũ sereres Fidei plantaria prima per orbem;
Aspicis Ambrosium pro relligionis amore
Iustitiaque, graui turbatum pectora motu,
Vix declinantem luctantia membra sopori?
PAV. *Aspicio, miserorque lubens, Christoque nuente*
Vrget amor recreare virum, monitisque citato
Addere calcar equo, & flammis adiungere flammas:
Namque decet sanctas animas, quæ cedere noxis
Indociles, pia bella Dei bellantur, ab armis
Instructas, verbisque meis contra omnia tela

Hostica

Hostica; præsenti recreari schemate, certâ
Et spe acui, eximiæ post vltima fata, coronæ:
Vos quorum ille tenax sequitur vestigia, mecum
Apparete quiescenti, sub imagine priscæ
Formæ, animisque animos, & viribus addite vires.

MYRO.

Hic amor: hoc studium. S. EVSTOR. *Par mens nos incitat.* DIONY. I*dem*
Me ardor agit, quia præsertim Deus annuit. S. PAVL. *Euge,*
Ambrosi inoffensos ArI furialibus armis
Iustinæque odÿs animos attolle, tuâque
Perge viâ sacra Pontificum defendere iura,
Nusquam aberit diuina tuis conatibus aura.
Immò tuos ignominiâ super induet hostes.
Te verò in terrâ & cælis, victrice coronâ
Accinctum caput, æterno splendore beabit.
Aspicis hos, mihi qui niueis in vestibus adstant,
A dextra læuaque viros circum vndique fusos
Scintillanti ardore? tui rerumque tuarum
Sunt contra Iustinæ iras, turbasque patroni,
EustorgI, Myroclis, DionysI nomine, quondam
Pontifices huius, cælo quam dirigis, vrbis.

S. EVSTOR.

Ambrosi, honoratas obito certamine lauros,
Quæ superâ te sede manent, constanter habeto
Ante oculos: lucta est breuis: immortale brauium est.
Testor ego hæc, fido qui tecum Eustorgius ore
Cælo emissus ago verâ sub imagine. S. DIONYS. *fide*
Ambrosi,

Ambrosi, & instantes pugnæ præsumito palmas.
Ille ego Melanâ Præsul Dionysius vrbe
Extorris quondam, fidei pro nomine, cælis
Adlapsus Christi monitu tibi talia porto.

S. MYROC.

Ambrosi, in aduersum Myroclem tua lumina verte,
Quæque reposta tibi in cœlo sint præmia, disce
Ex me vno, quem stellato vestiuit amictu
Gloria, cœlesti cum lumine circumfuso.

AMBRO.

Hæccine vana mihi falsis simulacra figuris,
Qualia per fuscam turbata insomnia noctem
Sæpe soporatis fingunt, sunt prodita somno?
Non: neque enim requies vllum per membra soporem
Fudit adhuc: penitùs vigilo: nec ludicra mentem
Fallit imago: oculis certè haud errantibus hausi
Effigiem Pauli Tharsensis origine, & ora
Pontificum EustorgI, Myroclis, Dionysij, habenas
Qui mihi transmisere suas, Clerumque regendum
Deposuere. Tuæ sequor, ô! sequor omina vocis
Paule Dei interpres: toto eccum pectore, terni ô
Pontifices, vestris me dedo hortatibus, ore
Vt constante, animoque pari quamcumque minãtûm
Turbarum piceo iaculandam turbine nubem
Sustineam, modò diuinas pugnauero pugnas.
Christe faue, antiquũque recens da robur in hostem.

SCENA SECVNDA.

PERIOCHA.

MErcurini siue Auxētij hortatu impulsa Iustina, apud Valētinianum filium agit, vt ab Ambrosio petat dari basilicam Arianis: quod negotium Dalmatio cōmittit Valentinianus.

IVSTINA, VALENTINIANVS, PROBVS, MERCVRINVS, Gothorum CHILIARCHVS cum suis.

IVSTI.

CAre, tuam nunquam miserabere, nate, parentem
Afflictā? semperne pati? nūquamne leuari
Dedecore, opprobrioque dabis? contemnor ab vno
Ambrosio, Augusti genitrix Augusta: pudendis
Paßim ignominijs Italas lacerata per vrbes
Differor, ac solum Augustæ mihi inane relictum est
Nomen: &, ô! vtinam tantùm despecta iacerem,
Aerumnasque mihi tutò exsorbere liceret!
Ast etiam capitique meo, vitæque timetur:
Ergo tuæ, si cura tuæ est, mi nate, parentis
Si quis amor, turpi miserandam exsolue periclo:
Vna salus ambobus erit: sin, vna parentem
Et natum, & nati natos iniuria tanget:
Nam mater sine honore, sua est infamia proli.

VALENT.

VAL. *Desine teque tuis incendere meque querelis*
Cara parens: nunquam, dum spiritus hos reget artus,
Vllius aduersi impunis te iniuria tanget.
Nulla meam, viuo me, matrem infamia lædet:
Corripe tela manu miles: lentescis? in hostem
Verte iras trux, verte enses: intelligis? i: iam
Dede neci Augusto infestum Augustæque virum: quem
Ciuicus vt fauor, aut amor, aut furor eximat atro
Funere, præcaue. Non stringis tua spicula, totaque
Approperans ex arce rues? PROB. *Auguste, remitte hoc*
Imperium ferale: tuas quæ mitiget iras
Altera namque via est. VALENT. *Placet hæc via: stat mihi nunquam*
Alteram inire: procax morietur Episcopus. PROB. *Vrbis*
In Cleros, in Pontifices, fideique senatum
Constitui temerè nihil addecet. VAL. *est facile, esse*
Iustum illi, in vitium quem non exasperat hostis.
PROB. *Cereus in vitium flecti, ferrique furore,*
Sit clemens: medicina iræ est clementia. VALENT. *At hostem*
Extinxisse, probi virtus est maxima Regis.
PROB. *Est maior Patri patriæ, Regique, clientes*
Diligere, & seruare suos à funere ciues.
VALENT. *Ne iuuenile meum canis ætatibus æuum*
Despiciatur; inextincto feruore regendus

Est populus. PROB. *Magis hoc feruens moderanda iuuenta est,*
Quò ferbet magis, & modico pòst tempore languens
Deferbet. VALENT. *Satis esse reor mihi consilI ad hanc rem*
Quam paro. PROB. *Consilij satis est, Auguste, fatebor:*
Hæc facias tamen, Imperij Proceresque, Patresque
Vt semper tua facta probent. VALENT. *Stultusne verebor*
Quos Patres, Proceresque creo? PROB. *Hoc plus ipse vereri*
Debueris, tibi quò tantum licet. VALENT. *Omnia fautrix*
Imperij fortuna mihi permittit. PROB. *Honoris,*
Imperijque, & opum leuis est fortuna, citoque
Inclinatur: ei credendum est parcius. VALENT. *An non,*
Ignorare sibi sit quanta licentia, bruti
Ingenij est? PROB. *Simul est & laudis, honoris, amoris,*
Quæ deceant, non quæ liceant fecisse. VALENT. *Iacentem*
Calcat vulgus. PROB. *At infestum Regem opprimit.* VALENT. *Vt non*
Opprimat, armato prouidero milite. PROB. *Ciui es*
Terribilis? ciuem te dêinde cauere necesse est.
Namque Italâ nequeas tutus consistere terrâ.
Tarquinios meminisse potes, Gracchosque, ferumque Caium

Caium, cognomen Caligæ cui castra dederunt,
Quique trahit magno demissum nomen Iulo
Iulium, & innumeros quorum violentia vulgum
Indocilem perferre iugum graue, vindice telo
Armauit. Par seditio te ciuica, par vis,
Par te nex, Auguste, manet, si funere tolles
Ambrosium, vnanimis quem suspicit Illyris,
Vmber,
Et Ligur, æternoque colit deamatque fauore.
Es iuuenis, magnos voluendis mensibus orbes
Explere imperio poteris, regnique profundâ
Pace frui, nonne est potius conuiuere ciui
Regem, à ciue coli, obseruari, ardenter amari?

VALENT.

Conceptos, Probe, deuictus summitto furores:
Me rege, meque doce quâ sim ratione parenti
Facturus satis, atque fidem tuiturus auitam.
PROB. *Mercurinus ab ingenio locuplete, sagacem*
Fortè modum inueniet: placet his de rebus agentem
Exaudire? VALENT. *Placet.* PROB. *Te Mercurine, locutum*
Expetit Augustus. MERC. *Venio.* IVSTIN. *Quo tota loco res?*
PROB. *Quo nequeat meliore: loquar vin' fidus ad aurem hæc?*
IVST. *Eloquere.* VALENT. *In medium breuiter mihi consule.* MERC. *Templa*
Occupat Ambrosius duo: neutrum Augustus: iniquum est.

 Ergo,

Hieronym. Epist. 57. ad Damas. Ambro. de basil non tradenda.

Ergo meo si consilio rem conficis, vnum
Autor ego Ambrosij vt proprios donetur in vsus,
Alterum in Augusti sacra vota precesque. VAL.
Probatur.
Dalmati ades: quæq; Ambrosio volo nuncia ferri,
Excipe.

SCENA TERTIA.

PERIOCHA.

POpulo Mediolanensi consulente Ambrosio, vt se à furore Valentiniani tantisper subducat, dum desæuiet ira; interuenit Dalmatius, petens vnam basilicam Arianorum vsui: negat se posse obsequi Ambrosius, populusque ipse intercedit, paratus & vitam & facultates potiùs profundere: Quare ad Valentinianum proceditur.

AMBROSIVS, SIMPLICIANVS, CASTVS, PAVLINVS, LEONTIVS, ALCESIMVS, ARGYRODORVS, & Orthodoxorum chorus: remanentibus in proscenio superioribus personis post 4. versus decessuris.

AMBROS.

TVrbineos motus præsentio: nostra
Vita tamen Christum penes est: hoc statque caditque.
VAL. *Vade, tuisque necis terrorem interyce verbis,*
Si

Si tenuet. Verbis non flexero? flexero morte.

LEONT.

I cito: texe fugam, teque eripe morte: procel-
lam
Si fugis, vt primùm composta resederit, vrbi es
Gratior, Augustoque redux populoque futurus.
Si porrò, eripiere gregi vel morte, vel atro
Carcere (quæ Deus auertat dispendia) quæ crux!
Quæ lamenta gregi! AMBROS. *Vt fugiam sua-*
detis? egone
Prædo gregis? ego fur? ego mercenarius? vllo
Vt lucro, patriæ vel amore, vel illice vitâ
Mortali, fugitiuus oues abiecero? non hoc
Exemplar bonus ille suæ vitæque, suique
Prodigus, informi suspensus ab arbore Pastor
Pastori pede sectandum propiore reliquit.

DALMA.

En mihi composito sedatus Episcopus ore,
Sed multi populi medius: formido tumultum
Si peraga mandata, tamen peragenda: probabo.
Ambrosi, ab Augusto venio legatus, & armis
Depositis, grauibusque odijs (vt dêinde quietem
Tranquillatus agas) pacis tibi nuncia porto:
Quæ ne sint violata, sacris vult vsibus vnum
Templorum sibi donari, populareque murmur
Sedari. Si verò tuas hæc pacis ad aures
Conditio iniucunda cadet; iubet exul vt vrbe
Decedas. AMBROS. *Cooperta dolis, & plena*
veneni

Quam mihi prætendis pacem (nisi consulo longè)
Iustitiæ effractis claustris, fœcunda malorum
Flumina in exitium gregis & Pastoris, ab Aulâ
Effundet. Quid agam? Christi præcellat amori
Exilij formido? hominis timor ante-stabit
Diuino? fidei armatum impenetralibus armis
Perfidia euincet? caueo huic succumbere culpæ.
Prælubet exilium paci: non sum exsul ab vrbe
Dicendus, forti exilium si mente capesso:
Omne solum forti patria est: cælestibus oris
Si modò non excludar; ero, licet exul ab vrbe,
Indiges æthereo ciuisque æternus in orbe.
Dalmati, ad Augustum remea, nostrique reuersus
Nuncius esto, Dei veneranda sacraria tradi à
Præsule sacrorum esse nefas. Quæ vota? quod istud
Consultum est? quænã hæc iniusta petitio? quid vult?
Expectatne Dei vt rem, quam Dionysius, exul
Qui nuper fidei constans assertor obiuit,
Quam mihi Confessor moribundo Eustorgius ore,
Quam Myrocles, longo reliqui quam ex ordine Patres
Transmisere sacro hæredis de iure tenendam,
Sponte potestati Imperij iurique profano
Mancipem? vt electam Domini, cultuque fidelem
Vineam, ab obscænis sine lege lutescere porcis,
Fœdarique sinam? vt diuini fœderis Arcam
Incircumcisos patiar tractare Philistêos!
Nunquam equidem, furiata frement dum bella, relinquam

Ambros. in concio. de Bas. non tradenda hæret. to. 5.

Templa

Templa mihi multos seruata in pace per annos.
Vultis in hoc omnes intendere vincula collum?
Vultis ab hoc animum secludere corpore? vultis
Extorrem rapere exsilio? non vincla recuso:
Non mortem trepidus fugio: non vrbis amore
Deprecor exsilium: auxilium dabit ara: furorem
Augusti haud metuo: quæ debet obire sacerdos,
Exequor: officium Indoperator obito. ALCESIMVS. *Petitum*
Non dabimus templum Augusto. ARGYR. *Frustra imperat: audis?*

ARISTOCRATES.

Hæc populi responsa refer: vno ordine ciues
Certus habe. EVSEPHIOPHILVS. *Nil proficies: tela omnia contra*
Nos templum, licet impensis ingentibus, omnes
Alterno vnanimes seruabimus ordine ciues.
Non mortem horremus. ALCESI. *Nos Ariana gubernet*
Factio! ARGIR. *Templa Dei Arianus vt occupet!* DALM. *Ecquæ*
Armat in Augustum vos tanta proteruia? miles
In manicas horum dextras inuolue, retrude
In spelæa: alij à turbâ motuque cauento.
LEONT. *Nil vos vincla, viri, moueant, neque carceris vmbræ:*
Nam vestrâ Augusto pro libertate loquemur.
DALM. *Tanta tua hæc, Præsul fastose, superbia longum*

Ambro. epist. 14. ad Mar. sor. to 5. Condemnationes grauissimæ decernuntur: primò in corpus omne mercatorũ stridunt catenæ: exiguntur ducenta pondo auri.

Exsilium, pœnasque truces, mortemque meretur,
Cuius ego memor ibo. AMBROS. *Placet: meministis Achabum*
Sollicitaße olim Nabothen, cui vinea propter
Regiam erat, de iure suo vt decederet, illamque
Vt sibi pro semente oleris donaret habendam?
Ipse: Deus prohibeto nefas, ait, vt bona tradam
Patria. Si proprio Nabothes vineta cruore
Effusâque animâ defendere maluit, ante
Quàm daret; hæreticos Ecclesia detur in vsus?
ORTHOD. *Non dabitur.* LEONT. *Nabothe non inferiora sequemur.*
ORTHO. *Ante simul dabimus vilem cum sanguine vitam.*

Præfectus Dalmatius renunciatus quæ audiit ab Ambrosio & populo, ad Imperatorem redit. Epistol. 14. a l Marcel. sororẽ.

AMBROS.

Vt Deus has clemens turbas componat, abite,
Indulgete preci, superumque vocate fauorem.
Interea, Augustum tantis de rebus adibo.
LEONT. *Augustum, Præsul, nunquam incomitatus adibis,*
Consequimur. AMBRO. *Turbas, motusque ciere cauete.*
LEONT. *Cæsar vt insolitas aßurgere desinat iras,*
Voce vocabo meos per singula compita ciues,
Qui tumidos reprimant numeroso murmure fastus.
Eia omnes domibus ciues erumpite, tela
Ferte, fidem atque aras vestras defendite: Præsul
Ambrosius, templi pro iure, incedit ad Aulam:

Ambr. vbi supra: Non meminerunt quod vbi me cognouit populus palatiũ petijsse, ita irruit vtvim eius ferre non possent. &c.

Ne

Ne quid ei læuum obtingat, stipemus euntem.

DALM. *Ecce, Auguste, tuo imperio nutuque rebelles*
Dissidy in populo authores, fontesque malorum
Ad spelæa traho, tua iussa sequutus: ab horum
Mussantûm fremitu vegetatus Episcopus, ore, &
Corde procax, aperire tibi sacra templa refugit.

VALENT. *Laudo fidemque operamque tuam: abstrudantur in vmbras:*
Aut tres ante dies mihi præsentaria pendant
Pondo ducenta auri. ALCESI. *Dabo quadringenta, paternam*
Propugnare fidem vt liceat, templumque tueri &
Pontificem. ARGYRO. *Nobisne fide præstantius aurum est?*

VALEN. *Dum serues promissa, volo te ergastula seruent.*

DALM. *Non mirum est, Auguste, tibi tot tamque molesta*
Abs vno Ambrosio ferri fastidia, nec te
Victorem ex votis euadere posse: reclusum
Namque habet ille domi locuples ærarium & auro
Arma virosque sibi conflat, populique fauorem
Conciliat: neque enim est alius per compita rumor.

AMBRO.

Ecce Palatinas denso cum milite Cæsar
Ante fores: vos interea, dum mollibus illum
Aggredior verbis, freno compescite motus.

Huo

Huc supplex, Auguste, Dei pro altaribus, omnis
Et populi pace aduenio: miserere tuorum,
Quos Deus & placido sceptro, lenique regendos
Imperio tibi supposuit. Ne, Auguste, parenti
Degener, inconsulta trucis consulta sequare
Roboami, qui, cùm senio iuuenilibus annis
Posthabito, immiti superare furore parentem
Maluit, vndantes quàm paullum immittere frenos;
Dissuit imperium discordi schemate: Habenas
Non petit vndantes populus, sed templa tueri
Pace tuâ vt valeat, Christumque fidemque colendo
Ceu proaui coluere patres tritauique. VALENT.
Colunto,
Templum obseruanto: non arceo: si tamen vnum
Ad sacra vota, precesque meas, vsusque meorum
Postulo; cur pugnax, cur & præfractus acerbat
Bile mihi iecur? atque huius tu fautor? in omnes
Distringam exertum nullo discrimine ferrum.

AMBRO.

Quid stomachare, tuam medicor dum, Auguste, salutem?
Nec mihi fas est morigero tibi tradere templum:
Oblatumque tuo arbitrio acceptare nefas est.
Priuati temerare domum si iure vetaris,
Quo, dic, iure Dei temerandam inuaseris ædem?
VALENT. *Augusto mihi cuncta licent: vertoque, regoque*
Cuncta manu. AMBRO. *Moderare animos, neu te altius effer*

Quàm

Quàm deceat: præs humanis: in cœlica, Princeps,
Exercere caue imperium, diuturnaque ſtabunt
Sceptra tibi: quæcumque Dei, reddenda Deo ſunt:
Cæſari item, quæ iure ſuo ſunt Cæſaris: vrbes,
Castra, tributa, domos, lutulenta palatia, fundos
Cæſar habet: ſed quæ Chriſti eſt eluta cruore
Sponſa, Sacerdotem penes eſt Eccleſia. VALENT. *Et vnam*
Me penes eſſe volo . AMBROS. *Quid ais? quid adultera tecum,*
Indoperator? & hæc Eccleſia adulterat, apto
Legitimoque tenax fidei quam copula nexu
Chriſto homini veroque Deo non coniugat: ergò
Parce, Auguſte, rogare nefas, vinctoſque reſolue.

VALENT.

Mene rogare nefas! vinctoſque reſoluere? ciues
Præfractos mihi perpetiar pugnare! ORTHOD. *Rogamus,*
Non pugnamus, ô Auguſte. VALENT. *Hem! ſine nomine vulgus*
Non mea ſceptra magis, non arma timere! ORTHO. *Rogamus*
Supplice voce: nihil tua ſceptra, nec arma timemus.
Vel mortem oppetere ardemus, vel templa tueri.
VALENT. *I Ductor, cohibe effrenes: oppone cateruas*
Aeratas. DALMA. *Properè hoc ciues decedite circo:*
Sin medij per veſtrum agmen cuneumque ruentes
Fune-

Quãdo Comiti militari cum expeditis ad fugandam multitudinẽ egreſſo obtulerunt ſe neci

pro fide Christi? Ambro. de basil non tradenda.

Funeream dabimus cladem. ORTHOD. *nil vestra timemus*
Arma. LEONT. *Loco nunquam hoc hodie decedere fixum est,*
Certa nisi Augustus dederit promissa, fidemque,
Se nullas in templa Deo deuota vias vi
Tentaturum, alias inuasurumue per artes,
Iussurumque hodie manicas & iniqua leuari
Vincla Senatorum insonti circumdata collo.
DALMA. *Nil, Auguste, valent exerta hîc spicula: dirus*
Namque ferocit vti leo, & implacabilis ardet.
Plebs amens irâ, indomitoque accensa furore est.
VALENT. *Plebeias igitur positurus, Episcope, turbas*
Vade: fidem sponde (reperit cum nulla viam vis)
Armorumque, meique tibi iam libera dêinde
Templa fore, innexis laxandaque colla catenis.
AMBRO. *Hæc responsa, Auguste, tuo pacalia regno*
Dona ferent, modò sint certo constantia verbo.
Exeo, turbatæ tua dicta renuncio plebi.
Compositis, ciues, armis, & pectore, vestras
Quisque redite domos: nam Cæsar amicior ore
Ac sermone, quasi mutatus Numine, spondet
Armorumque, suique, mihi iam libera posthac
Templa fore, iniustis laxandaque colla catenis.
Hanc mecum, Superi vt firment, exposcite, pacem:
Sin, formido, leui momento euanida nostras

Ilicet:

Ilicet excisâ cum spe, frustrabitur aures.

ORTHOD. *Confirmet promissa Deus, tuaque omina faustet.*

LEONT. *Ambrosius typus & viuax Antistitis instar,*
Nobilitate nihil, nil purpurâ, & ense, potentique
Imperio fractus, ceu murus aheneus obstat
Ne vitium, Iusti fideique repagula rumpat.

SIMPLI. *Hoc illi vitæ dat norma asperrima: namque*
Quotidiana fere exercens ieiunia, nunquam
Prandet, & alternæ semper conuiuia mensæ
Defugit, immodica execratur pocula, luxum,
Molliciem, insulsos gestus, atque oris ineptos
Vrbanâ leuitate sales, & cætera quæ sunt
Futilia. O! si eius tereret vestigia Clerus,
Nunquam hodie tanta ebrietas, & ineptia morum
Inficeret pronum in Cleri contagia vulgus.

SCENA

SCENA QVARTA.

PERIOCHA.

Valentinianus milites Basilicam eam cincturos, & Episcopum abrepturos mittit.

VALENTINIANVS, DALMATIVS, Gothorum CHILIARCHVS, Orthodoxis THEOPISTE, FLORO & alijs ad templum euntibus.

VALENT.

Dalmati ades, mihique Ambrosÿ responsa renarra.

PHILOP. *Ne quid opinatum male surgat in vrbe, quod omnes*
Dissidio ciues inter se inimicet, & armis
Collisos nece luctificâ, sine more, trucidet;
Vota Deo duplicare metu properauit ad ædem
Ambrosius, nos interea vanescere curis,
Tardigradoque viâ in mediâ lentescere passu
Non pudeat? FLORVS. *Subeunt alÿ: nos vltima templi*
Iu limen signata pedum vestigia quisquam
Præsentûm istic Christiadûm fixisse refellat!
DALMAT. *Talia iactabat stolidæ conuitia linguæ*

Pro

Pro populo, variâ sorbebat & aëra sannâ
Proscindens, Auguste, tuos cum nomine mores.

VALENT.

Actutum, Chiliarche, caput furiale, procellam
Vulgi, adytis templi è penetralibus arripe: ciuem
Obnixum ense feri: non sit miseratio. Posthac
Indocilem flecti nullus mihi vellicet aurem.
Talia! tamque indigna mihi responsa referri!
Mene Philistæo! porco me comparet! illi
Scurrilem euellam probroso è gutture linguam.

SCENA QVINTA.

PERIOCHA.

DVm milites Prætoriani Ecclesiam cingũt, populus intus custodit, & audit Ambrosium, licet nonnulli timidiores fugiant.

THEOPISTES, FLORVS, AMBROSIVS, MEGALOPHEBVS, GOTHI, CHILIARCHVS, S. MICHAEL, S. RAPHAEL.

THEOPIST.

ECce cateruatim templi ferus ostia miles
Obsidet. FLORVS. *Irrumpet.* AMBRO. *Nihil est formidinis: ambas*
Namque fores, quamvis patulas, Deus occupat.
GOTH. I. *Hem!* GOTH. 2. *vah!*

GOTH. 3. *Hei! nusquam hîc aditus.* GOTH. 4. *Nusquam ostia peruia.* GOTH. 5. *Nusquam*
Limina. GOTH. 6. *Fors oculi magicâ excantantur ab herbâ.*
GOTH. 7. *Ianua, quæ iam nunc visa est adaperta, refugit*
Improuisa oculos. GOTH. 8. *Foris hæc, & pervius vsus,*
Est aliquâ, reor, Inferni oppilatus ab arte.
GOTH. 6. *Nil facimus: nōne est potius fastigia muri*
Ascensu celeri superare, & væ addere victis?
CHILIAR. *Rursum oculos templi per hyperthyra voluite, si qua*
Sit via: sin, vanis repetenda palatia dextris.
AMBRO. *Gēs deuota Deo, stimulis formidinis antè*
Nequidquam fodicata, vides vt in hostica fusæ
Robora præualuere preces? ecce ostia templi
Bina patent, quæruntque aditus, omnemque pererrant
Arte locum, neque repperiunt quà intrare facultas.
Cœlestis quæ nos acies propugnat (inanes
State metu) depugnanti numerosior hoste est.

Epist. 14. ad Marcel. soror. & orat. in Aux. Sepserūt basilicam, explorabant hos atque illos aditus, cæcitate perfusi sunt, vt quod apertum erat, videre non possent.

S. RAPHA.

Castra licet sanctas animas hostilia cingant
Obsidione; licet gladij stringantur & hastæ
Vndique in illarum exitium; licet Infera contra
Robora densentur; iaculato in corpore nullam
Vim vulnusque ferent. CHILIAR. *Cæco superamur ab hoste;*

Fortè

Fortè magi excantant oculos: redeamus. GOTHI OMNES. *Eamus.*

S. MICHA. *Turritas nisi diua manus defenderit arces,*
E muris humana vigil custodia frustra
Excubat, ac pontes & propugnacula iungit.

S. RAPHA. *Ni Deus humani generis molimina fautor*
Adiuuet, impensas industria terrea perdit.

THEOPIST. *Cuncta silent.* MEGALOPH. *Nihi armorum circumsonat.* FLOR. *Ibo,*
Explorabo fores circum, num fortè latebris
Insideant. MEGAL. *Longè gressus efferre caueto.*

FLOR. *Excessere omnes: hîc nulla pericula restant.*

AMBRO. *Angelicis ô Christiadûm pia pectora curis*
Credita, diuinis confidere discite verbis:
Quisquis, ait Psaltes, habitata cubilia fidens
Ponit in adiutante manu Omnipotentis, in illum
Insiliat licet insanis accincta flagellis
Ferrea sors, & luctificas molita ruinas
Circum Infernali stridens Aquilone procella
Detonet in caput, eximius discriminis exit,
Ac tempestatum nymbos, hyemesque malorum
Vndique latrantûm securus despicit, instar
Rupis in Oceano quam flabris spumea saeui.
Nequidquam in montis faciem, circumfremit vnda,
Si modò praesentem diuini vmbonis ad vmbram

Confugiat, ſupplexque manum Numenque repoſcat.

Alituum vos namque choris cæleſtibus ipſe
Tutandos dedit, vt nodoſque moraſque viarum
Expediant, manibuſque ſuis per acuta locorum
Per ſalebraſque ferant, ne ſcrupea compita veſtras
Obijcibus violent plantas. Exemplar habetis
Ante oculos: quis enim noſtris ceruicibus enſes,
Quos modò barbarici violentior impetus hoſtis
Strinxerat, auertit? quis fata, cadauera, ſtrages,
Ne funeſtarent templi penetralia, cauit?
Credo equidem, neque vana reor, diuinitus acta
Omnia, & Angelicis, quibus eſt cuſtodia noſtri
Credita, præſidijs intus poſſeſſa fuiſſe
Oſtia, quæ telis hoſtes obſeſſa tenebant
Exteriùs, nec ijs facta eſt intrare poteſtas.
Sic Eliſæum olim tentans conſtringere vinclis
Regnator Syriæ, peditumque, equitumque, rotarumque
Agmen, vt obſidio Dothainia mœnia circum
Vallarent, emiſit: vbi viſa horruit arma
Seruus, eique omnem quæ tunc obducta tuenti
Turbabat viſum, Vatis prece ſupplice nubem
Diſſoluit Deus, ambitum circum vndique vatem
Inſtar montis equis armati & curribus igneis
Proſpexit. Tantæ Superis pia pectora curæ.
Ergo alacres gratante Deum ſuper æthera cantu
Tollite, quòd ſæuo tenebras offuderit hoſti,
Ne poſſet patulas templi diſcernere valuas.

Occidui

Occidui posthac hymnis imitentur Eoos,
Et psalmis, quibus auxilium cœleste petatur,
Dum validè Ariana manus coit omnis in vnum,
Augustæ vt Triados cultumque fidemque reuellat.

Hic cantabitur *Te Deum Laudamus* in scena. Post hymnum decantatum prodibit solus & admirabundus Ambrosius, propter visos Sanctos Geruasium & Prothasium.

SCENA SEXTA.

AMBROSIVS.

QVæ simulacra meis oculis obiecta, reclines
In requiem, psalmos inter & cantica, sensus
Confusâ cum mente nouis pepulere figuris?
Vidi equidem niueo iuuenum duo corpora cultu
Flammicomæ circum, latéque vomentia lucis
Ardentes radios, tensis ad sidera palmis,
Diductâ sine voce: quibus dum verba putarem
Fundere, frustratæ voci via clausa stupore est.
Anne mihi hæc Erebi manes insomnia fingant,
Vt vanis animum, venas dum somnus inerrat,
Ludificent vmbris; an cœlica visa, profundas
Quæ tenebras differre parent, & operta recludant,
Decrêrit Deus æthereas monstrare per auras,

Paulin. in vita Ambros. & ipse Ambrosius episto 54. ad Marcel. sor. tom. 5.

 Nescio.

Neſcio. Cùm tamen hæc ſpecies oſtenſa ſecundò eſt
(Nam fuit illa aliàs primo mihi prodita ſomno)
Haud ſopor illa fuit, certum eſt: ieiunia namque
Iſtoc ducta die, tenui mea membra quieti
Vt poſſem, licet enixus, laxare, vetabant.
Ergo Deum, ne ludificent me hæc monſtra, precabor.

SCENA SEPTIMA.

GREX PAVPERVM.

SEVERVS cœcus, ASCITES ſolo ventre hydrops, MARASMODES tabidus, CYLLOPODES crure trunco ſemipes, DISALTHES vlceroſus, & ELEPHANTIACVS, ad proſeuchen ſedentes ſuas miſerias varias variè lamentantur.

SEVERVS.

Dum reputo mea damna, ſubit mihi quæſtio mentem
Scrutari ſtudioſa, quis in mortalibus ægris
Orbe ſub æthereo trahat infelicius æuum
Me miſero: nec enim Solis lætabile lumen
Cernere poſſe datur, quo nil iucundius vſquam eſt,
ASCITES. *Parce queri: iuſtis aſſurgere nãq; querelis*
Me potior ſtimulat ratio, cui tendit aquoſum
Pectus hydrops ad ſeſquipedem lucente veneno.

MARAS-

MARASMODES.

Ambo (nec infiteor) vos lamentabilis angit
Sors: at enim me, præ vestrâ crudelior vrget,
Atque adeo magis hoc querulâ miserabilis odâ,
Quod mihi corruptâ sanie circum vndique virus
Tabificum fluat, & putres exulceret artus.

ELEPHANTIACVS.

Quisque suos, non refragor, quæ copia fortis
Est animi, patimur manes, ac dispare formâ
Dissimilique modo: vobis tamen omnibus vnum
Me grauiora pati crudæ fastidia sortis
Nunquam equidem, pugnēt licet argumēta, negabo,
Quando cuti, infestâ pungens prurigine corpus,
Imprimit informes elephantia lurida crustas.

DYSALTHES. *Quemque sua (vt vulgus canit) infortunia tangunt:*
Vos cruciant mala vestra; meum me conficit, in se
Omnia dum trahit admoto immedicabile ferro
Ossa minutatim morbo collapsa, nec vllum
Crescenti superat medicamen ab arte, dolori.

CYLLOPODES.

Claudus ego trunco pro crure, genuque reuulsô
Cillopodes impar vitæ communis in vsum,
Quod faciles obitare vias, tenuesque labores,
Vt victu invigilem, nequeam exercere ferendo;
Flebiliora status miseri tormenta subire
Me, reliquos suprà, quos sors premit aspera, duco.
Dic, age, quæ Seuere, tuis incommoda rebus
Aduehit ætherei priuatio luminis? SEVER. *Omnem*

Lætitiam, quâ me paßim perfundere gestit
Accurata parens mundi natura, recidit.

CYLLOPOD.

Immò tuæ contrà bene velificata saluti
Omnia detrimenta cauet, dum cuncta recidit
Crimina letiferi sexcenta in secla doloris.
Hæc venerem & cæci stimulos auertit amoris,
Ne malè pellectus muliebris imagine formæ
In furias ignemque ruas arsurus Auerno.
Hæc auido tibi ne species spectabilis auri,
Atque oculorum illex, argentea rudera, raptim
Inÿciant desiderium sublime, perennes
Oppilat scatebras, capitis dum lumina cæcat,
Vnde potes terräi exsors aßurgere cælo
Purior, & felice Dei clarescere visu.

SEVERVS.

Si miseri excludens incommoda corporis, vnum
Ad virtutis opus tendas, & cælica spectes;
Vera (fatebor enim) dixti: sed verò fateri
Non renues, quàm sint nostræ cælestium inanes
Procuruæ in terras animæ: premit illa misellum
Me ratio, vt cæli oblitus terrestria curem,
Aerumnamque meam, quâ durior altera non est
Hausta scientifico sensu, dum luminis orbor
Vsurâ, reliquis differre immanè, querendo
Incusem. CYLLOPOD. *Neque iure quidem: nam terrea spectes,*
Esto: tuæ scis quanta ferat solatia vitæ,
Scilicet vt puero incedas comitatior vno;

Quod

Quod sibi dux Alcibiades ascripsit honori.

SEVER. *Heus, etiamne meæ gaudes illudere sorti?*
Non venit in mentem cœli placabile Numen
Respectasse pias olim prece supplice mentes,
Illarumque fauore frequens sua lumina cæcis
Restituisse? CYLLOPOD. *Mihi quondam hæc narrata recordor.*

SEVER. *Et meminisse potes quandoque repente videntûm*
Lumina Cymmerÿs offusa fuisse tenebris.
Cùm velut immemores fati sortisque futuræ
In miserandi hominis tenebras & lucis inanem
Auderent oculum insultare procaciùs. CYLLOPOD. *Illud*
Et memini penetrare meas aliquando per aures.
Vt tamen hæc oculos vindex ærumna flagellet,
Haud metuo: nec enim quæ-sum tibi-cumque locutus
Ludibrium sonuere: lepos festiuior ægros
Exhilarat: pariterque tuæ solatia sorti
Vt mea verba forent, volui. Ne concipe porrò
Insultare tuam in sortem me velle: nec vllos,
Postea vt vltrices Deus in me exerceat iras,
Incassum mihi finge metus. ASCETES. *Quid inania vanis*
Profuerint vestra hæc tot plaustra gementia verbis?
Non poterunt lenire famem, neque ponere morbos
Qui tenui properæ mortis discrimine nostra
Corpora corripuere? petit tacita ora proseuche hæc,
Vtque inflexanimas acuamus guttura voces

Prostipe. MARASMODES. *St: sensi strepitum venientis ad aures.*

SEVER. *Ecquis is est?* ELEPHANTIACVS. *Ciues precibus, sacrisque litatis,*

Egressi delubri adytis penetralibus, ædes

Iam repetunt: sit quisque suæ non immemor artis.

SCENA OCTAVA.

Manentibus ijsdem pauperibus in proscenio, egreditur S. AMBROSIVS de templo cum Orthodoxis.

MARASMODES.

ELusit faciles oculorum pupula sensus:

Credideram efferre è templo vestigia ciues,

Verba sed Ambrosius Clero per mutua miscet.

ELEPHANT. *Cunctandum interea: ciues mox fortè subibunt.*

ASCITES. *Altera, spem contra, petijt diuortia Præsul,*

At sperata stipis pensant compendia ciues.

Quisque suam intendat vario certamine vocem.

SEVER. *O! si qua est pietas, si qua est miseratio, vtroque*

Orbum oculo, meliore oculo quicumque viator

Aspice.

Aspice. CYLLOPODES. *Meque genu infracto baculoque regentem*
Quo-mea-cumque trabo dubiè vestigia, claudum
Cernite, mendicumque animis bursisque fouete.
MARASM. *Quàm mihi corrupta sanie circum vndique virus*
Tabificum fluat, & putres exulceret artus,
Aspicite ô ciues docti miserescere nummo
Exiguo: sum namque operis fabrilibus impar.
ELEPHAN. *Non ignara mali misero succurrere disce*
Turba viatorum; nec enim mihi corpus alendi est
Copia, quando cuti pungens prurigine corpus
Imprimit informes elephantia lurida crustas.
DYSALTH. *Vlcera, quæ toto serpentia corpore sensim*
Proxima corrumpunt lapsura minutius ossa,
Sic vt non superet præsens medicina dolori,
Indulgere preci me vestra ad munera cogunt.

SEVER.

Nulla pedum nunc aura meis, murmurque susurrat
Auribus, effluxere omnes sine munere ciues?

CYLLOPODES.

Effluxere, sed exigua est data sportula dextris.
SEVER. *Tu, quæ sint iniecta meam donaria palmam,*

Inspice,

Inspice, fidentemque doce haud infidus amicum.

CYLLOPOD.

Fidentem, haud diffide, docebo fidelis amicum.
Heus! etiam cerno regale numisma: tuâ nos
Exsuperas multum stipe: nam sestertia septem
Et sexaginta plenè tibi conficit istæc,
Quam rectum studui ad numerũ deducere, summa:
Accepti superas duplâ nos parte peculI.

DISELC. *Hactenus hæc: dêinceps sint facta silentia linguis*
Quæ numerant eleemosynæ pro munere nummos.
Quisque suam hic studeat contento ramice sortem
Ostentare: stipis nam spes hic plurima surgit.

SEVERVS.

Vnde spei tibi materies? DISELCES. *Qòd Episcopus vrbis*
Ambrosius plenâ solitus marsupia dextrâ
Pannosis inopum gregibus diffundere, diuûm
Ad laudes, hominum spissâ stipante cateruâ
Templa subit. SEVERVS. *Felice beas me nuncius ore:*
Munificus mihi Præsul erit. Venerate Sacerdos,
Captum oculis miserante oculo precor aspice. DISELC. *Turbæ*
Pauperis, Antistes, vulgi miserator egeni,
Ne pigeat pro cœlesti miserescere cultu.
Vulnera te & morbi moueant gemitusque rogantûm.

SCENA

SCENA NONA.

Iisdem qui supra remanentibus interuenit Ambrosius cum suis domesticis.

AMBROSIVS.

ARianus vt inuidiam mihi conflet in Aulâ,
Clamitat immensum esse domo interiore repostum
Thesaurum, quo belligeras in murmura turmas
Conscribam, quo præsidium viresque secundas
Comparem in Augustum. Quàm sint hæc vera, videte:
Argentum si fortè putant aurumque, quod altis
Aurifabri effodiunt fossis, vbi rudera crescunt
Aureæ, vel solidæ argenti de marmore massæ,
Fallũtur: quod namque domi, quod namque foris sit
Nummorum, nil parco mihi, nil parco gulæ, nil
Parco sali & mensæ, nil parco parentibus: omne
Quicquid id est fundi & census mihi, quidquid opum, do
Pauperibus. Me falsò igitur seruare repostos
Thesauros reputant: sed enim si veriùs aurum
Argentumve, quod ipsa suis Ecclesia muris
Continet, adueniens quod nulla ruina fauillis
Obruat, iniecto nec fur male subtrahat vngui,

Paulinus in vita Ambrosij. Cum primũ, ait, ordinatus esset Episcopus, omne aurum atque argentum quod habere poterat Ecclesiæ vel pauperibus contulit &c.

Aut

Aut ærugo ſuis corrumpat dentibus, ipſi
Obÿciunt; vitio, reor, hoc non ducitur: ecce,
Namque palam eſt: hi ſunt prono quibus incubo corde
Theſauri: hos mihi, terrenæ vice ſordis, aceruos
Congero, pro quibus Auguſti ſi forſan ad aures
Inſimulor, recti mens conſcia, & inſcia culpæ
Admonet vt nihilo mouear minus, acer inerti
Quàm ſi dente canis latratibus atria latè
Perſonet incaſſum: nec enim temeraria vulgi
Fama malum, quæcumque leui diſſeminat aurâ
Aut animo aſpergit maculas, aut nomen inumbrat.
Et verò quod in aduerſas mihi comparo turbas
Præſidium, fraudi reputant, & crimen in Aulâ
Incuſant: validum, fateor, mihi comparo in hoſtem
Præſidium, non quale ſuis Auguſtus in armis
Oſtentat; verùm à neruis præſtantius: illud
Namque valens vi corporeâ, ferroque, vel igni
Multa minax, primo cadit impete ſæpe, valenſque
Interiore animi leprâ corrumpitur, errans
Claudicat, & cæcâ traductum in crimina fraude
Nil videt: hinc numeroſa cohors, & robore fruſtra
Nixa ſuo, exiguo conciſa frequenter ab hoſte
Occidit: hæc verò, quam plurima corporis arctat
Debilitas, animis viuit robuſtior. Illi
Præterea ſpargunt varÿs rumoribus Aulæ
Per medium, argento me conciliare fauorem
Plebis, amicitiamque: nec hoc falſum eſſe fatebor:

Namque Deo, in toto quis viuit amicior orbe
Quàm pauper? nec ego mihi conciliabo fauorem
Pauperum? abi inuidia indignata: fremente, furente
Te, largis eleemosynis incumbere certum est.
Eia ergo illustres animæ, dilecta potenti
Turba Deo, accipite hæc vobis digesta viritim
Munera, cœlestesque iras auertite ab vrbe.
Nunc repeto commune meis pro rebus asylum,
Templa Dei, in lucemque preci, dum me audiat, insto.

SEVERVS. *Pannosi gregis ô præsens tutela, tibi det*
Astra Deus. ASCITES. *Deus æthereos tibi conferat orbes.*
MARASMODES. *Cælica sint tibi pro meritis.* CYLLOPOD. *In pauca fidelem,*
Multa super te constituat Deus. DYSALTHES. *Omnia vitæ*
Deinde tuæ decursa fluant momenta, cadantque,
Dum summo Papæ in solio te Roma reponat.
SEVERVS. *Pauperibus lugubris erit iactura, parentem*
Hunc vbi mors tulerit: sed summa ineunda datorum est.

SCENA

SCENA DECIMA.

AMBROSIVS in oratione.

Miror ego num quæ species mihi nupera sese
Sopitos inter sensus, vigilesque, videndam
Cominus ante oculos sub sera crepuscula lucis
Occiduæ rutilas iterumque iterumque per vmbras
Obtulit, ostentare hodie se denique perget.
Si faciet, facilis labor est discernere visis
Somnia: namque leuem, credo, indignata soporem
Lumina defugient totâ, quàm longa futura est,
Nocte, iugata preci propter ieiunia, claudi.
Altera pars curæ superat discedere longè
Agrassante, per obscurum caliginis, hoste,
Ne mihi perniciem fallacis imaginis vmbrâ
Fabricet. Omnipotens Numen molimina frangat
Hostica, prætendatque facem hac ad monstra, rogabo.
Alme Deus, piceâ septum caligine lumen,
Lumen inextinctis vincens fulgoribus orbem
Phœbæum, Lunæque globum, Titaniaque astra,
Quorum aurêam tanto superas discrimine lucem,
Vt collata tuæ, fuscum quasi præfica peplum
Induat, & furuâ circum nubatur ab vmbrâ.
Fac precor erumpant elisis nubibus ignes
Aetherei,

Aetherei, diuina meæ qui lumina menti
Affundant, ne Tartareus me nubilet error.

SCENA VNDECIMA.

PAVLVS, ET AMBROSIVS, cum SS. GERVASIO, & PROTHASIO non loquentibus.

Ecce autem radiata pari se ostentat amictu
Atque loco iuuenum species, quo visa secundò est.
Qui medius tamen ambo graues intermicat, annos
Propter, in aspectus paullò antè, simillimus ore
Est Paulo, nisi turbatum me decipit eius
Viua meis quæ fixa tholis dependet imago,
Vt memorem pulset stimulis haud mollibus omnis
Ad virtutis opus mentem: nec futile spectrum est,
Nec mendax facies, neque cæca insomnia noctis:
Est Paulus. S. PAVLVS. *Quid nunc animum huc, nunc diuidis illuc*
Ambrosi, & ancipitem temet per plurima versas?
Nil Stygiæ hîc fraudis, nulla hîc insomnia ludunt:
Sum Paulus: quos verò latus mihi claudere cernis
Hinc atque hinc, duo sunt mea qui consulta sequuti,
Otia, delitium, dotalia prædia, mundi
Perlecebras, auri congestaque pondera, & huius
Gratam adeò vitæ vsuram, lumenque iuuentæ

Paulin. in vita Ambro. & Ambrosius ipse conci. de basil. non tradenda.

Purpureum, generosi animis constantibus, auo
A florente, leuis ceu vana volumina fumi
Despexere, Dei feruenter amantis amore.
AMBROS. *Ast illos, me Diue mone, quæ nomina signent.*

S. PAVL.

Hunc data Geruasij signat nota nominis, illum
Prothasij. AMBROS. *Quæ terra illos eduxit in auras,*
Denatosque suâ custode recepit in aluo?
S. PAVL. *Ambrosi, in obscuro, sine honore, ingesta sepulcro,*
Hoc, vbi stas, terræ gremium complectitur ossa
Vtriusque: moras igitur iam protinus aufer,
Decedensque, loco denos quater, octoque palmos
In terrâ puteum demitte, statimque subibunt
Ante oculos castæ, quas arca picata recondit,
Relliquiæ; quibus eximio de marmore templum,
Hîc vt eis sit vt in cœlo sua gloria, pones.
Namque dabunt sanctæ fidei argumenta per vrbem
Melanam, hæreticis quam nox erroribus vmbrat.
AMBROS. *Quæ verò leti species hos intulit astris?*
S. PAVL. *Ambrosi, inaniloquis ne rere insomnia verbis*
Ludificare tuas sopitis sensibus aures;
Accipe qui genus, vnde domo, quo funere vitam
Finierint, nec te mendacis imaginis anceps
Cura coquet. Vitali ambos eduxit in auras

Valeria, ambo fide insignes, virtutibus ambo
Eximios, qui, mortali cùm luce parentes
Perfunctos Deus æthereo superintulit orbi,
Digestim patrio pannosa per agmina censu
Dispensato, humilem duo per quinquennia soli
Incoluere casam, intenti cœlestibus oris,
Obnixique cruorifluis non cedere flagris,
Flammivomisue pyris, vel dira frementibus vrsis,
Aut alÿ mortis formæ, quam sæua tyrannis
Obiectura foret fidei pro nomine. Tantis,
Illi animis fortes vt se ad bellanda pararent
Bella Dei, longo tentabant robora nisu,
Qualiter exercent vires ad prælia tauri,
Cùm memores olim saturi præsepis, amorumque
Amissorum, alacres irasci in cornua discunt
Arboris incurso, pugnæ ad præludia, trunco:
Sic ad prima suas pro Christo, prælia vires
Ipsi exercebant duodenos penè Decembres,
Dum Comes Astasius, genus intractabile bello
Marcomanos flammâ populante sequutus & ense,
Sacrificis Diuûm certaim vrgentibus, illos,
Cùm varÿs excisa Deûm simulacra figuris
Humanæ commenta manus adolere negarent
Sacrilegis ad thuricremas suffitibus aras,
Sustulit; hunc secto post lora immania collo,
Illum autem innumerâ contusum grandine crebri
Verberis, eneruos animâ dum solueret artus.

Ambrosius e-p:st. 54. ad Marcell. tom. 5.

Sublatis ergò remoris inhonora, sepulcri
Erue de gremio Sanctorum corpora, perque
Insubres festo pompæ solemnis honora.
Dictorum porrò seriem tibi planiùs vngui
Subdita puluillo monstrabit apographa. AMBROS.
Quas! ô!
Quas grates, Deus alme, tuo pro lumine soluam!
Mirabar patuli nuper quid hyperthyra templi
Circùm obiens, tentansque viam quà intrare liceret
Vt lupus ad caulas frustra insidiatus ouili
Ob fusas nequidquam operas irâ improbus hostis,
Non inuento aditu, sua sese ad tecta referret:
Scilicet hæc duo Sanctorum pia pectora fusis
Ad Christum precibus, populum vt seruaret, & aras,
Hostiles oculos obductâ nube tenebant.
Ibo, meisque oculis oblata fidelibus istæc
Monstra Dei referam, tabulasque, per oppida mittam
Delectos Cleri ad Proceres, populumque per omnem
Insubrem, vt mora nulla, volent vuacia Diuis
Festa nouis, ac solemnes indicere pompas.

SCENA

SCENA DVODECIMA.

VALENTINIANVS excitatus à matre & Arianis, nihil valere potentiam ſuam contra Ambroſium queritur: à Probo Galliæ Præfecto, in quem rei huius cauſam reijcit, mitigatur, alio dato ei conſilio.

VALENTINIANVS.

ARdet inextincto gliſcens violentia cordi
Obliquâ inuidiâ ſtimuliſque furentibus, hirquis
Dum video turgere meum felicibus hoſtem
Auſpicijs rerum, & votorum euentibus, omnem
Ac populum, proceresque inter, ceu Numen haberi;
Me verò indecorem haud ſolùm regnare per orbem
Auſonidûm, ſed & in toto vileſcere vulgo:
Quin, & ab impubi paſſim petulantiùs ore
Proſcindi, ludique meum, quaſi futile, ſceptrum.
Nonne iacet ſimili mea ſtrata potentia caſu,
Dalmati? DAL. *Vt expertis oculis atque auribus hauſi*
Perferre indocilis digna atque indigna relatu;
Deteriore ruet caſu niſi fortibus armis
Surgat in aduerſum properè tua viuida virtus,

Cæsar, & obnixos tollas vltrice bipenni.

VALENT.

Antè diu stricto contrà procedere ferro,
Auctoremque mali Ambrosium mactare securi,
Barbarica sue relegandum mandare per oras
Aeterno exilio, firmæ sententia menti
Constiterat, nisi versa retro mutata fuisset,
Idque tuo, Probe, consilio: tu causa pudoris
Despectusque mei es. PROB. *Nullas, Auguste, pudoris*
Despectusque tui causas ego consule verbo
Prætendi, neque ad hæc vnquam temeraria veni
In tua sceptra tuumque decus molimina, pacis
Proditor & regni. VALENTI. *Quisnam ergo exerta nefastum*
In caput arma autor retudit, decretaque vertit
Funera? PROB. *si crudele manu diuertere funus,*
Quod seri quiqui venient à stirpe nepotes
Horrebunt, si verborum ratione cauere
Antè diu, formidandi ne pronuba belli
Seditio, primumque acuens discordia pilum
Cæsaris exitio prosurgat, & omnia turbet;
Si facili sermone tuâ prudenter ab aulâ
Infandum remouere scelus, quod Numen acerbet,
Illique indomitas ad pœnam exasperet iras,
Est semen iecisse mali, causamque doloris
Despectusque tui; sum fonsque, caputque (fatebor)
Dedecorum, spretique tui sine nomine regni.
Sin, quæ dicta priùs virtutum insignia nunquam

Illaudata

Illaudata, tui solidè rem tangere sceptri
Annueris; nũquam caput horum & causa malorum
Quæ pateris, dici meritò tibi posse videbor.
Non adeò tamen imperij res, nomen, honosque
Occidit, vt lamenta notant, quin læua regressum
Faustum aliquem fortuna habeat, finemq; querelis
Inijciat, si non renues audire monentem.

VALENT. *Non renuo, conclaue domus secretior intra.*

SCENA DECIMA TERTIA.

AMBROSIVS, ET AMBROSII Puer, quem cum literis ad varios Italiæ Episcopos ad se conuocandos, pro ineundo de Beatorum Martyrum effodiendis Corporibus consilio mittit.

AMBROS.

I Puer, extremum Insubrûm velocius orbem
Gnauus obi, quáque attollunt sua mœnia cœlis
Oppida, Vercellæ, Comum, Verona, tabellas
Has ad Pontifices populi, Clerique Senatum
Defer, vt huc, cùm prima viæ data copia, visis
Conueniet, votisque meis; properare laborent.

PVER. *Antistes venerate, gradu citus ibo, tuòque*

Ex voto reducem me cras hîc affore cernes,
Si vegetet Deus assueto mihi robore plantas.
AMBROS. *Nunc superest adolere precum suffitibus aras,*
Vt mihi perpetuent Superi ad sacra bella fauorem.

SCENA DECIMA QVARTA.

CALLIGONVS & MERCVRINVS de leniendo Valentiniani luctu inter se agunt.

CALLIGO.

M*Ercurine, tuamne recens illatus in aurem est*
Nuncius iniecti per regia tecta doloris?

MERCVRI.

Nullus adhuc, etiam tenuis, mihi sibilus auræ
Aspirauit, vt hunc inflaret in aure dolorem.
At quæ prima mali labes & origo? CALLIGO. *Priorum*
Turbarum fons Ambrosius. MERCVR. *Rursum ergò procellas*
Integrat? CALLIG. *Antiquas grauioribus incrementis*
Aggestas quasi perpetuat. MERCVR. *Quianam?* CALLI. *Ille Gothorum*

Obtusos oculos, templi ne peruia possent
Ostia, reclusasque fores intrare, scelesto
Carmine monstrosè magus excantauit: eoque
Indoperator vt horrendi vi fulminis ictus
Ingemit, ac pariter factis pro talibus, omnis
Externata suo cum Principe Curia luget.

MERCVR. *Quid magicum indignante scelus iuuat vsque potentem*
Augustum Augustique domum tabescere luctu?
Quin magis armato vindex vlciscitur ense
Commissum capitale nefas? quo lentiùs ignes
Accendent læsos animos, iræque subibunt
Vlcisci facinus, meritasque exposcere pœnas
Dum furit ægra lues; hoc ipse licentiùs omnes
Non Italas modò per terras ignobile vulgus
Dementabit Auernali contage, sed ipsos
In caput Augusti proceres turbante tumultu
Inflammabit, ab Imperij dum culmine pulsum
Excutiat, sparsimque suum sine vindice virus
Euomat, exitio Ausoniæ pestique futurus.

CALLIG. *Credo equidem, & multi mecum se scire fatentur*
Quæ memoras: totâ non est tamen vllus in vrbe,
Inque Palatinis, qui facto insurgere contrà
Audeat: illum adeò cuncti admirantur, & instar
Numinis obseruant, obeuntem compita denso
Circumstant vigiles numero, stipantque frequentes.
Quæ medias inter curas dum auditque videtque

Cæsar, in abiectos animos, pectusque remissum
Proruit, & crebro gemitu grauis, ima profundo
Ilia singultu tendit: quæ causa propinquæ
Mortis erit, nisi quis doctâ medicabitur arte.
MERCVR. *Ibo, aliosque animos angusto in pectore ponam.*

SCENA DECIMA QVINTA.

EPISCOPVS VERCELLENSIS, COMENSIS, VERONENSIS, ad Ambrosium veniunt euocati: herum suum accersit Puer, venit Ambrosius, eisque causas cur euocati sint aperit.

PVER.

INterea placet, Insubri clarissima tractus
Lumina, vestra domus subducere corpora tecto,
Dum vos aduenisse leui volo pronior Euro
Nuncius Ambrosio, qui flammeus ora tueri
Vestra, salutifero credensque negotia Christo
Fors nunc vota facit, cumulatque altaria donis?
VERCELL. *Ito celer, nos lentigradi te ponè sequemur.*

Ambro-

Ambrosius Stygiæ obnixus non cedere pesti
Hæreseon, reliquos inter quos Itala profert
Terra viros, virtute suâ est iustissima Diuûm
Cura: quid ergo tenet nostram admiratio mentem
Si locuples illum cæli indulgentia large
Diuitet, insuetoque virum splendore per auras
Luminet, vt quæ mersa chao ignorante latebant
Multa priùs toti vulganda fideliter orbi
Eruat in lucem, contra sinuosa nouarum
Nubila sectarum? COMENSIS EPISC. *Super hoc non miror: at eius*
Infractum aduersis animum, stomachumque minaces
Exitij trucis indocilem trepidare procellas
Suspicio. Verùm ecce venit: per mutua sancto
Amplexu placidi collo dare brachia circum
Maturemus. AMBROS. *O optati super aurea solis*
Lumina ferre iugum fidei, pariterque laborem
Sortiri dociles extrema per omnia mecum
Pontifices, vos hanc Superis præsentibus vrbem
Allatos, ducente Deo, lætorque, meisque
Amplexor cupidis ederâ ambitiosior vlnis.
Vt verò primâ repetens ab origine causam
Cur mea vos tantâ nobis regione locorum
Diuersos breuibus rogitarit epistola verbis
Has tentare vias; rem totam ex ordine pandam

Ambros. epist. 54 ad Mar. fol. 10. 5.

Altiùs

Altiùs,&,ne quæ referam productior, aurem
Vllam oneret, posito tranquilla per otia sensu,
Vestra, quieturi releuate sedilibus istis
Membra: tribus summam (nec erit mora) displicoum verbis.

VERCELL. *Nulla moræ nobis fuerint dispendia tanti,*
Quin ea (quam-sint-cumque modum breuitatis & horam
Excessura) tuo quæ nos carpemus ab ore
Verba, thymum suauem super Hyblæ & Hymettia mella
Grata, Pater, nostro sint allapsura palato.

AMBROS. *Incipiam: grauium pronuper ab impare pressus*
Pondere turbarum, quas hæresis excitat vrbe,
Cùm populi plebisque preces me, vt templa dicarem
Qualia solemni pompâ paullò ante sacraram,
Vrsissent, egoque extemplò parere paratus
Tam iusta propensa preci responsa dedissem
Si modò relliquias Diuorumque ossa, dicando
Pro templo Deus annueret: mora tollitur: aris
Acclinor: cœlis affundo vota: sopore
Corripior: iuuenum radianti in nube duorum
Corpora candorem niuis exsuperantia, tensis
Ad superos palmis, clarâ se in luce videnda
Ostentant: surgit lux postera: vesper opacat
Nocte diem: precibus supplex incumbo: secundò
Apparent simulacra pari mihi schemate: somnum

Ne

Ne caperent oculi, obstabant ieiunia: vanis
Hîc metuens mihi ne Dæmon illuderet vmbris,
Posco Deum: placidam oranti Deus applicat aurem:
Tertius inde diem vix clauserat Hesperus, ecce
Par iuuenum circùm rutilâ cum luce videndum
Se mihi qualiter antè, pari sub imagine formæ
Obijcit: at præter solitum, discriminis illud
Hoc fuit, amborum medius quòd tertius vnus
Omnia consimilis Paulo, vultumque, coloremque,
Interluxit, & his curas mihi demere verbis
Occœpit: Quid sollicitâ es formidine pressus,
Tartarei ne te manes mendacibus vmbris
Ludificent? non hîc simulacra euanida cernis
Ambrosi, at indigetes animas decora addita cælis
Quæ iuuenes, exosæ humiles me consule terras
Molleque delicium, & vitæ fugientis amorem,
Clara triumphati validis virtutibus hostis
Argumenta, stolas quas ostrum & purpura tingit,
Atque maritatis æterna in secula palmis
Victrices peperere sibi certamine lauros.
At quòd in obscuris inhonora, ingloria fibris
Terræ vbi stas, vtriusque iacent incognita vulgo
Corpora, bis ternos puteum, me autore, iubebis
Demitti ad cubitos, tumuloque effossa repones
Aede nouâ, meritis vt sit sua gloria tractus
Per Latios. Quod porrò solum natale, parentes,
Nomina, opes, vitæ species, ac terminus æui,

Pollinctor-

Pollinctorque pius Diuos exceperis, vrnæ
Subdita puluillo monstrabit apographa. Sunt hæc
Quæ liquidas Deus ostendit mihi monstra per auras,
Et voluit nostro breuiter vos ore moneri.
Quæ super his vestræ sedeat sententia menti
Consulite in medium. VERCELL. *Rem citra insomnia, cœlis*
Demissam fidei & populo solatia, fraudis
Infernæ vacuam, nostræ nil vocis egentem,
Verborum per aperta fluens, venerate sacerdos,
Fudisti patulas ad verba loquentis in aures.
Quare hodie celerem, fiat mora ne qua iubenti
Hæc per monstra Deo, fossorem inducere manda,
Qui tantos mutâ nimium tellure recludat
Thesauros. VERONENSIS. *Mihi par animo sententia surgit:*
Namque nec Inferni manes insomnia menti
Obiecere tuæ, captos nec inanibus vmbris
Ludificauit iners sensus sopor: omnia certè
Hæc tibi visa Deus cœli conuexa per auras
Obtulit, vt canamque fidem, fideique clientes
Roboret: euge duodenos demittere palmos
In puteum, ac tumulis educere corpora fossor
Deproperet. COMENSIS. *Mea mens consentit vtrique.* AMBRO. *Monebo*
Ergo priùs (quando nobis data copia vestri est)
Delectos populi Proceres, populumque, Patresque,
Crastina cùm roseos Aurora reuexerit ignes,

Cuncti adsint, carnisque suos à crimine sensus
Emaculent, tantæ vt cæco post vota sepulcro
Effodiantur opes, ductisque ex ordine pompis
Nostram seruet honos ædem suus, ossaque nomen
Terrâ Italâ (quanquam parua est ea gloria) signet.

VERON. VERCELL. & COMEN.
Episcopi.

Nunquam hodie indecores erimus, neque nostra feretur
Fama leuis, modò nos meriti nullius, habere
Partem opere in tanto Deus annuet. AMBRO.
Annuat, oro.

ACTVS

ACTVS QVARTVS.

SCENA PRIMA.

CYLLOPODES, ASCITES Hydrops, MARASMODES siue Ecticus vel tabidus, DYSALTHES, ELEPHANTIACHVS, properant ad basilicam SS. Apostolorum, vnde corpora SS. Martyr. PROTH. & GERV. erant eruenda.

ASCITES.

Cyllopode, præter solitum quid nixus iniquos
Huc agitas gressus? quò te via raptat euntem?

CYLLOP. *Huius aperta frequentati ad solaria templi:*
Hæc etenim nobis hodie fœcunda proseuche
Farciet exhaustos, duo quos vix æra flagellant,
Pasceolos. MARASM. *Metuo ne te spes lubrica verset.*

CYLLOP. *In nunquam fallente oculo, quam mente seco spem,*
Audituque meo posui: namque auribus hausi
Effodienda duo Diuûm sacra corpora terræ
Visceribus,

Visceribus, spisso populi spectante theatro.
Atque adeò palas rurales, rutra, ligones
Sarraco vectanda operis pro talibus arma,
Ternosque augusto veneratâ in vertice mitrâ
Conspicuos externâ istuc ex vrbe profectos
Pontifices, quorum in medijs & maximus æuo
Et primus placitâ Ambrosius grauitate (minores
Inter vti stellas Titan) exstabat, in albis
Hinc atque hinc Clero ad numerum præeunte, supremus
Quos indeprenso vicinior interuallo
Digestim propriâ pro conditione Senatus
Ponè sequebatur, subeuntibus ordine turmis
Nobilium, atque incomposito sine nomine vulgo,
Vidi oculis his ipse meis: iamque eminus omnes
Ex adytis dicti Ambrosio de nomine templi
Excessere, & Apostolica ad sacraria plenis
Proceduntque, fluuntque vijs. DYSALTHES. *Spes ergo peculI*
Prolixi haud incerta potest (si vera profaris)
Præsumi. CYLLOP. *Quianam dubitas? verißima vidi*
Et retuli: mihi quid mendaciter ore locutum
Profuerit? viden? ecce venit tibi cominus omnis
Effusi in pompam populi longo ordine cœtus.

SCENA SECVNDA.

REMANENTE pauperum grege, superuenit proscenio, Pontificum quatuor, Cleri, Nobilium, & populi cœtus, pro solennitate SS. Martyrum è tumulo suo eruendorum.

ELEPHANTIAC.

CHristiadæ, Christi per viscera, mollia flecti
Viscera vestra, greges inopes, rerum omnium egentes,
Morbida quos peredit species non vna, videndo
Mollescant. MARASM. *Mihi tabificum pus vlcerat artus.*
CYL. *Claudus ego trunco pro crure, genuque reuulso*
Non sum operis habilis. ASCITES. *Misero mihi tendit aquosum*
Pectus hydrops, neque iam præsens medicina dolori est.

DYSAL.

Sustentate. CYLLOP. *Leuate manu.* ELEPHANT. *Miserescite nummis,*
Vt Deus acclinis vestra omnia cœpta secundo
Annuat in fidei auxilium succedere casu.
AMBROS. *Hoc animis, hoc enixis exposcite votis:*
Eia recepturas donaria tendite palmas.

Interea

Interea Diui quò gratia Flaminis alto
Depluat ad nostras operas, Phonascus in odas
Chromaticas, æquata paret modulamina templo.
CYLLOP. *Munificus vobis Deus ista recenseat æra*
Multiplicata, viri, in cœlis, vestrasque secundet
In terris operas. ASCIT. *At, quæ data quisque recepit*
Munera, sunt, socij, reuocanda ad calculum. MARASM. *Inibo*
Difficilis numerum: nec enim mihi nota, meosque
Intrarunt loculos hæc antè numismata. CYLLOP. *Fide*
Illa mihi, adiutabo lubens, ego singula noui:
Quamque ea conficiant summam, percurrero nullâ
Temporis aduersante morâ. MARASM. *Tibi fidere nummos,*
Ne circumvenias vllâ me fraude, retracto.
CYLLOP. *Fide, inquam, neque rere vllam me texere fraudem.*
Euge, dolis tibi consutis ne cudere technas
Me reputes, mea depono marsupia pignus.
MARAS. *Fide fidem mihi, Cyllopode, quam sponte dedisti*
Cerno carere dolis: mea proinde pecunia dextræ
Tota tuæ numero complenda fideliter ecce
Traditur. CYLLOP. *Eia, breui, nec erit labor, omnis ad vnguem*
Nota tuo dabitur numerata pecunia voto.

Interea cantatur *Veni Creator* in ſcenâ; poſt quem cantum exibit in proſcenium Aedituus narraturus quæ euenerint in effoſſione Sanctorum Corporum Geruaſij & Prothaſij, audientibus Pauperibus.

SCENA TERTIA.

AEDITVVS.

Qvanta tuis, Deus, in Sanctis tua gloria ſplendet,
Cuius ab arcano templo venerabilis horror
Attoniti populi ſtupefacta in pectora manat!
En vbi clathratus paries interſecat vrnam
Nazarij, & Celſi capulum, ſimul atque ligonis
Dentem impreßit humo Ambroſius, quem quiſque ſequuti
Pontificum fodere ſcrobis faſtigia palmos
Ad quadragenos, octoque: ibi procubat arca
Saxea: præſentûm manibus protollitur: omnes
Summiſsi petimus terram, Numenque precamur
Proſperet orſa: manum Præſul tumulo admouet: vrnam
Recludit: nos fiſcellam circùm vndique fuſi,
Illius interiore ſinu recubantia Diuûm
Corpora, quæ duo candenti velabat amictu
Carbaſus, emirante oculo certoque videmus,

Non

Non communi hominum specie producta per artus,
At procera magis, membrisque ingentia, præquam
Cætera; tamque modum supra fluitantia viuo
Sanguine spumabant, quàm si iam à cæde recenti
Illa sepulta forent; tantoque halantia latè,
Circuitu in longo templi omnipatentis, odore
Fragrabant, ac si suauem sudantia stacten,
Malabathrum, caryophyllon, casiamque, crocumque,
Cinnamaque, & nardi spicam, & thymiamata circùm
Spargeret, oppleretque Deus suffitibus aras.

CYLLOP. *Ergò beatorum si martyre funere functi*
Indigetum vita in cœlis palmaque fruuntur;
Indubitata ferent nostris medicamina morbis,
Præsertim aßueti precibus votisque vocari.

AEDITVVS. *Credo equidem: nam magna istæc miracula spondent.*

MARASM. *Hæc est illa hodie nobis fœcunda proseuche,*
Quam trunco celer aduenienѕ huc crure futuram
Prædixti, mi Cyllopode: pòst, æris abundè
Suppetet, afflictæ nostræ modò certa, nouorum
Per sacros Diuûm cineres, medicina saluti
Suppetat: ecquid enim nos æra minuta trientûm
Disruptis propè ramicibus noctesque diesque

Mendicata iuuant, quando labor actus in orbem,
Cui nunquam exhausti satis est, redit, & neque finem
Ponere clamoso lamento turpis egestas
Aut ægrum corpus patitur? ASCITES. *Tibi concino mentis*
Iudicio: quis enim nescit nos indiga vulgi
Agmina, vicatim rauco dum gutture victum
Poscimus & nummos, extrema per omnia vitam
Ducere? Nonne foret potius pro tempore sortis
Conditio nobis, vires in pristina reddi
Siue per Ambrosiæ succos, herbasque salubres;
Siue per insuetas donati cælitus artes
Hippocratis; miserique status nos lege solutos
Ad veteres pastus curas operasque remitti?

DYSALTHES. *Par animo defixa meo sententia constat.*

ELEPHANT. *Ergò ad Relliquias, Diuorumque ossa, precatu*
Supplice, membrorum vegetâ pro mole rogatum
Quisque reclinatis hodie ceruicibus, hortor
Vt celeri pede Paulinam maturet ad ædem.

CYLLOP. *Euge, ero dux, licet alterno vestigia gressu*
Subsidant mihi clauda: quid hic horasque, morasque
Ducere nos fando iuuat? ecce, quod inter achrestos
[M]ortales, donum optanti promittere nemo
[A]uderet, voluenda dies impertijt vltro.

MARASM.

MARASM. *Ista (fatebor enim) nos lux suprema manebat,*
Impositura modum morbis, qui nostra tot annos
Corpora producto instabant deperdere tabo.

CYLLOP.

Xixta valete. MARAS. *Valete tori.* DYSALTHES. *Vale deinde proseucha.*
Vtilior, spero, nobis apotheca, repulsis,
Munere Diuorum, morbis obtinget, opumque
Copia splendidior solitò, cùm singula vicos
Per varios perreptantes pro paupere nummo
Ostia, difficili circùm nos ire labore
Dira fames, vnáque habitum male corpus adegit.

SCENA QVARTA.

In quâ supplicationem instituentes Episcopi cum vniuerso Clero & populo, Sanctorum Geruasij & Prothasij Corpora solenniter ex templo S. Faustæ, quò pridie deportata fuerant, ad Basilicam Ambrosianam transferunt, præeunte Præcone, & manentibus Pauperibus.

PRÆCO.

Quid vestra infestas intempestiua molestè
Ingeritis malè morati vestigia pompas?

CYLLOPO.

Venimus oratum Diuos medicamina morbis.

PRÆCO. *Opportuna preci non sunt hæc tempora: vestros*
Vertite retrò gradus, longéque absistite circo,
Ne qua interturbet solennem turba triumphum.
Mox vbi Diuorum venerata resederit vrna
Ambrosiani adytis templi in penetralibus; istic
Fas erit illorum Superumque vocare fauorem
Vestra in vota, aliquotque dies æquare precando
Noctibus. ASCITES. *Hîc sedeamus humi, dum ex ordine pompa*
Defluat: interea miseros duo forte sequentur

Nos

Nos bona: namque pias si quæ miseratio mentes
Permoueat, nostras onerabit paucula dextras
Sportula, credo; per & compendia temporis istoc
In celebri Diuûm cineres atque ossa triumpho
Pontificum deuecta humeris, vbi nostra videntûm
Lumina transierint; sinuato poplite, palmâ
Supplice, proiecti in terram exposcemus ab alto
Depluat auxilium in mala, nos quæ multa fatigant
Ex longo, subitóque salus, vt spero, sequetur.

PAVPERVM GREX.

Apposite nobis quæ das consulta probamus.

SCENA QVINTA.

In quâ puerorum octo, ornatu Angelico, floreis coronis redimitorum, herbas odoriferas perspergentium de calathis, & instrumenta musica manu tenentium Chorus præit Supplicationi, & SS. Martyrum, quorum Corpora ad basilicam Ambrosianam transferuntur, solennitati.

PRIMVS PVER.

GEntis Italicæ decus,
Omnis quæ Ligerim bibis,
Epotasque Padum cohors,
Quæ sacræ Triados fidem
Nil mori metuens colis
Ante Cæsaris ora;

Rorulenta leuis tua
Infer in topiaria
Longè sepositis moris
Cum vagis oculis pedes:
Cur inertior hæres?

SECVNDVS PVER. *Euge corripe falculas:*
TERTIVS. *Euge forsiculas cape:*
QVARTVS. *Euge porrige pollicem*
Dexteræ ad digitum manus:
QVINTVS. *Brachio ingere qualos.*

SEXTVS. *Serta collige florea,*
Quæ dabunt anemonium,
Caltha, leucoïon, rosa,
Lychnis, Iris, & Hesperis,
Cum rubente Hyacintho.

SEPTIMVS. *Menta, pseudomelanthium,*
Anthemis, thymus, aiuga,
Iuncus, abrotanum, crocus,
Spica Nardi, hypoglottion
Oppleant calathissos.

OCTAVVS. *Tota nectareis humus*
Suauè fragret odoribus,
Ingemant myrothecia
Lacrymantibus undulis,
Thure fumet acerra.

SECVNDVS. *Fila stupea quæ linit*
Cera Punica, luminent

Vrbis

Vrbis omnia compita.
PRIMVS. *Clareat picea eminens,*
Luce concha fenestris.

TERTIVS. *Tot per aëra flammulas*
Aemulæ iubaris faces
Vndique eiaculent, suâ vt
Lampade exsuperent diem,
Noxque victa fatiscat.

QVINTVS. *Hîc sacræ fidicen lyræ,*
Cinge tempora floribus
Dulce olentis amarici,
Excitusque hilaro die
Barbiton quate plectro.

QVARTVS. *Cymbalum, citharam, chelyn,*
Tibiam, crotalum, tubam
Ferte qui numeros manu
Atque chromata spiritu
Et tonum ore citatis.

SEPTIMVS. *Quid moramini? abit dies.*
SEXTVS. *Festa Geruasio dies.*
OCTAVVS. *Sacra Prothasio dies,*
Digna lætitijs dies.
SECVNDVS. *Cui nuens fauet æther.*

PRIMVS. *Tetricis fora litibus,*
Anxitudinibus domus,
Officinæ operis, agri,

Arua,

Arua, rura laboribus
Feriata vacanto.

En coit celeberrimo
Clerus ordine Præsulum
Hinc & inde sequentium
Elegante frequentiâ
Præter & solitum & modum
Auctior, Superûm Patri
Plena laudis ut hymnifer
Ritè cantica succinat,
Quòd solo eruta Martyrum
Hoc die ossa retexit.

Ergò composito huc fluat
Omnis Italus agmine,
Pusio, Iuuenis, senex,
Virgo, nupta, Vir, Indigus,
Diues, Aduena, Ciuis.

Qui fidem Triados colis,
Fronte symbola gaudij,
Ore, carminis optimum
Da, die hoc celeberrimo,
Ante Cæsaris ora.

SCENA

SCENA SEXTA.

In quâ conſtituunt intrare templum pro recuperandâ, martyrum meritis, ſanitate, CYLLOPODES, ELEPHANTIACVS, MARASMODES, ASCITES, DYSALTHES, SEVERVS officio lanio.

SEVERVS.

N*Vlla meis dêinceps immurmurat auribus oda.*

CYLLOPOD. *Ambroſiani omnes templi in penetralia greſſus*

Atque ſacros Diuûm cineres vrnamque tulere.

SEVER. *Ne qua interturbet ſolennem turba triumphum*

Dêinde, timoris erit nihil. ELEPHANTI. *Ergo relinquere tempus*

Hanc tenui Cereris fruſto, nummoue proſeuchen

Vix habilem, quam tot nequicquam inſedimus annos.

MARAS. *Inſimul in templum greſſus, animoſque feramus,*

Et noſtris dabitur morbis animiſque proſeuche

Gratior. ASCIT. *Optatam ſitiens hydropiſis vndam*

Crudeſcet, nec aquoſa graui de corpore peſtis

Deſu-

SCENA SECVNDA.

REMANENTE pauperum grege, superuenit proscenio, Pontificum quatuor, Cleri, Nobilium, & populi cœtus, pro solennitate SS. Martyrum è tumulo suo eruendorum.

ELEPHANTIAC.

CHristiadæ, Christi per viscera, mollia flecti
Viscera vestra, greges inopes, rerum omnium egentes,
Morbida quos peredit species non vna, videndo
Mollescant. MARASM. *Mihi tabificum pus vlcerat artus.*
CYL. *Claudus ego trunco pro crure, genuque reuulso*
Non sum operis habilis. ASCITES. *Misero mihi tendit aquosum*
Pectus hydrops, neque iam præsens medicina dolori est.

DYSAL.

Sustentate. CYLLOP. *Leuate manu.* ELEPHANT. *Miserescite nummis,*
Vt Deus acclinis vestra omnia cœpta secundo
Annuat in fidei auxilium succedere casu.
AMBROS. *Hoc animis, hoc enixis exposcite votis:*
Eia recepturas donaria tendite palmas.

Interea

Interea Diui quò gratia Flaminis alto
Depluat ad nostras operas, Phonascus in odas
Chromaticas, æquata paret modulamina templo.
CYLLOP. *Munificus vobis Deus ista recenseat æra*
Multiplicata, viri, in cœlis, vestrasque secundet
In terris operas. ASCIT. *At, quæ data quisque recepit*
Munera, sunt, socij, reuocanda ad calculum. MARASM. *Inibo*
Difficilis numerum: nec enim mihi nota, meosque
Intrarunt loculos hæc antè numismata. CYLLOP. *Fide*
Illa mihi, adiutabo lubens, ego singula noui:
Quamque ea conficiant summam, percurrero nullâ
Temporis aduersante morâ. MARASM. *Tibi fidere nummos,*
Ne circumvenias vllâ me fraude, retracto.
CYLLOP. *Fide, inquam, neque rere vllam me texere fraudem.*
Euge, dolis tibi consutis ne cudere technas
Me reputes, mea depono marsupia pignus.
MARAS. *Fide fidem mihi, Cyllopode, quam sponte dedisti*
Cerno carere dolis: mea proìnde pecunia dextræ
Tota tuæ numero complenda fideliter ecce
Traditur. CYLLOP. *Eia, breui, nec erit labor, omnis ad vnguem*
Nota tuo dabitur numerata pecunia voto.

Interea cantatur *Veni Creator* in ſcenâ; poſt quem cantum exibit in proſcenium Aedituus narraturus quæ euenerint in effoſſione Sanctorum Corporum Geruaſij & Prothaſij, audientibus Pauperibus.

SCENA TERTIA.

AEDITVVS.

QVanta tuis, Deus, in Sanctis tua gloria ſplendet,
Cuius ab arcano templo venerabilis horror
Attoniti populi ſtupefacta in pectora manat!
En vbi clathratus paries interſecat vrnam
Nazarÿ, & Celſi capulum, ſimul atque ligonis
Dentem impreßit humo Ambroſius, quem quiſque ſequuti
Pontificum fodere ſcrobis faſtigia palmos
Ad quadragenos, octoque: ibi procubat arca
Saxea: præſentûm manibus protollitur: omnes
Summiſsi petimus terram, Numenque precamur
Proſperet orſa: manum Præſul tumulo admouet: vrnam
Recludit: nos fiſcellam circùm vndique fuſi,
Illius interiore ſinu recubantia Diuûm
Corpora, quæ duo candenti velabat amictu
Carbaſus, emirante oculo certoque videmus,

Non

Non communi hominum specie producta per artus,
At procera magis, membrisque ingentia, præquam
Cætera; tamque modum supra fluitantia viuo
Sanguine spumabant, quàm si iam à cæde recenti
Illa sepulta forent; tantoque halantia latè,
Circuitu in longo templi omnipatentis, odore
Fragrabant, ac si suauem sudantia stacten,
Malabathrum, caryophyllon, casiamque, crocumque,
Cinnamaque, & nardi spicam, & thymiamata circùm
Spargeret, oppleretque Deus suffitibus aras.

CYLLOP. *Ergò beatorum si martyre funere functi*
Indigetum vita in cœlis palmaque fruuntur;
Indubitata ferent nostris medicamina morbis,
Præsertim assueti precibus votisque vocari.

AEDITVVS. *Credo equidem: nam magna istæc miracula spondent.*

MARASM. *Hæc est illa hodie nobis fœcunda proseuche,*
Quam trunco celer adueniens huc crure futuram
Prædixti, mi Cyllopode: post, æris abundè
Suppetet, afflictæ nostræ modò certa, nouorum
Per sacros Diuûm cineres, medicina saluti
Suppetat: ecquid enim nos æra minuta trientûm
Disruptis propè ramicibus noctesque diesque

Mendicata iuuant, quando labor actus in orbem,
Cui nunquam exhausti satis est, redit, & neque finem
Ponere clamoso lamento turpis egestas
Aut ægrum corpus patitur? ASCITES. *Tibi concino mentis*
Iudicio: quis enim nescit nos indiga vulgi
Agmina, vicatim rauco dum gutture victum
Poscimus & nummos, extrema per omnia vitam
Ducere? Nonne foret potius pro tempore sortis
Conditio nobis, vires in pristina reddi
Siue per Ambrosiæ succos, herbasque salubres;
Siue per insuetas donati cœlitus artes
Hippocratis: miserique status nos lege solutos
Ad veteres pastus curas operasque remitti?

DYSALTHES. *Pat animo defixa meo sententia constat.*

ELEPHANT. *Ergò ad Relliquias, Diuorumque ossa, precatu*
Supplice, membrorum vegetâ pro mole rogatum
Quisque reclinatis hodie ceruicibus, hortor
Vt celeri pede Paulinam maturet ad ædem.

CYLLOP. *Euge, ero dux, licet alterno vestigia gressu*
Subsidant mihi clauda: quid hîc horasque, morasque
Ducere nos fando iuuat? ecce, quod inter achrestos
Mortales, donum optanti promittere nemo
Auderet, voluenda dies impertijt vltro.

MARASM.

MARASM. *Ista (fatebor enim) nos lux suprema manebat,*
Impositura modum morbis, qui nostra tot annos
Corpora producto instabant deperdere tabo.

CYLLOP.

Xixta valete. MARAS. *Valete tori.* DYSALTHES. *Vale deinde proseucha.*
Vtilior, spero, nobis apotheca, repulsis,
Munere Diuorum, morbis obtinget, opumque
Copia splendidior solitò, cùm singula vicos
Per varios perreptantes pro pauper e nummo
Ostia, difficili circùm nos ire labore
Dira fames, vnáque habitum male corpus adegit.

SCENA QVARTA.

In quâ supplicationem instituentes Episcopi cum vniuerso Clero & populo, Sanctorum Geruasij & Prothasij Corpora solenniter ex templo S. Faustæ, quò pridie deportata fuerant, ad Basilicam Ambrosianam transferunt, præeunte Præcone, & manentibus Pauperibus.

PRÆCO.

Quid vestra infestas intempestiua molestè
Ingeritis malè morati vestigia pompas?

CYLLOPO.

Venimus oratum Diuos medicamina morbis.

PRÆCO. *Opportuna preci non sunt hæc tempora: vestros*
Vertite retrò gradus, longéque absistite circo,
Ne qua interturbet solennem turba triumphum.
Mox vbi Diuorum venerata resederit vrna
Ambrosiani adytis templi in penetralibus; istic
Fas erit illorum Superumque vocare fauorem
Vestra in vota, aliquotque dies æquare precando
Noctibus. ASCITES. *Hîc sedeamus humi, dum ex ordine pompa*
Defluat: interea miseros duo forte sequentur

Nos

Nos bona: namque pias si quæ miseratio mentes
Permoueat, nostras onerabit paucula dextras
Sportula, credo; per & compendia temporis istoc
In celebri Diuûm cineres atque ossa triumpho
Pontificum deuecta humeris, vbi nostra videntûm
Lumina transierint; sinuato poplite, palmâ
Supplice, protecti in terram exposcemus ab alto
Depluat auxilium in mala, nos quæ multa fatigant
Ex longo, subitóque salus, vt spero, sequetur.

PAVPERVM GREX.

Apposite nobis quæ das consulta probamus.

SCENA QVINTA.

In quâ puerorum octo, ornatu Angelico, floreis coronis redimitorum, herbas odoriferas perspergentium de calathis, & instrumenta musica manu tenentium Chorus præit Supplicationi, & SS. Martyrum, quorum Corpora ad basilicam Ambrosianam transferuntur, solennitati.

PRIMVS PVER.

GEntis Italicæ decus,
Omnis quæ Ligerim bibis,
Epotasque Padum cohors,
Quæ sacræ Triados fidem
Nil mori metuens colis
Ante Cæsaris ora;

Rorulenta leuis tua
Infer in topiaria
Longè sepositis moris
Cum vagis oculis pedes:
Cur inertior hæres?

SECVNDVS PVER. *Euge corripe falculas:*
TERTIVS. *Euge forsiculas cape:*
QVARTVS. *Euge porrige pollicem*
Dexteræ ad digitum manus:
QVINTVS. *Brachio ingere qualos.*

SEXTVS. *Serta collige florea,*
Quæ dabunt anemonium,
Caltha, leucoion, rosa,
Lychnis, Iris, & Hesperis,
Cum rubente Hyacintho.

SEPTIMVS. *Menta, pseudomelanthium,*
Anthemis, thymus, aiuga,
Iuncus, abrotanum, crocus,
Spica Nardi, hypoglottion
Oppleant calathissos.

OCTAVVS. *Tota nectareis humus*
Suauè fragret odoribus,
Ingemant myrothecia
Lacrymantibus vndulis,
Thure fumet acerra.

SECVNDVS. *Fila stupea quæ linit*
Cera Punica, luminent

Vrbis

Vrbis omnia compita.

PRIMVS. *Clareat picea eminens*

Luce concha fenestris.

TERTIVS. *Tot per aëra flammulas*

Aemulæ iubaris faces

Vndique eiaculent, suâ ut

Lampade exsuperent diem,

Noxque victa fatiscat.

QVINTVS. *Hîc sacræ fidicen lyræ,*

Cinge tempora floribus

Dulce olentis amarici,

Excitusque hilaro die

Barbiton quate plectro.

QVARTVS. *Cymbalum, citharam, chelyn,*

Tibiam, crotalum, tubam

Ferte qui numeros manu

Atque chromata spiritu

Et tonum ore citatis.

SEPTIMVS. *Quid moramini? abit dies.*

SEXTVS. *Festa Geruasio dies.*

OCTAVVS. *Sacra Prothasio dies,*

Digna lætitijs dies.

SECVNDVS. *Cui nuens fauet æther.*

PRIMVS. *Tetricis fora litibus,*

Anxitudinibus domus,

Officinæ operis, agri,

Arua,

Arua, rura laboribus
Feriata vacanto.

En coit celeberrimo
Clerus ordine Præsulum
Hinc & inde sequentium
Elegante frequentiâ
Præter & solitum & modum
Auctior, Superûm Patri
Plena laudis vt hymnifer
Ritè cantica succinat,
Quòd solo eruta Martyrum
Hoc die ossa retexit.

Ergò composito huc fluat
Omnis Italus agmine,
Pusio, Iuuenis, senex,
Virgo, nupta, Vir, Indigus,
Diues, Aduena, Ciuis.

Qui fidem Triados colis,
Fronte symbola gaudij,
Ore, carminis optimum
Da, die hoc celeberrimo,
Ante Cæsaris ora.

SCENA SEXTA.

In quâ constituunt intrare templum pro recuperandâ; martyrum meritis, sanitate, CYLLOPODES, ELEPHANTIACVS, MARASMODES, ASCITES, DYSALTHES, SEVERVS officio lanio.

SEVERVS.

NVlla meis dêinceps immurmurat auribus oda.
CYLLOPOD. *Ambrosiani omnes templi in penetralia gressus*
Atque sacros Diuûm cineres vrnamque tulere.
SEVER. *Ne qua interturbet solennem turba triumphum*
Dêinde, timoris erit nihil. ELEPHANTI. *Ergo relinquere tempus*
Hanc tenui Cereris frusto, nummoue proseuchen
Vix habilem, quam tot nequicquam insedimus annos.
MARAS. *Insimul in templum gressus, animosque feramus,*
Et nostris dabitur morbis animisque proseuche
Gratior. ASCIT. *Optatam sitiens hydropisis vndam*
Crudescet, nec aquosa graui de corpore pestis

Desu-

Defugiet, nisi prima mali turgentis origo
Exierit venis: ideo properanda salutis
Est via, quæ se vltro, nil tale putantibus offert.

ASCITES.

Quid fando volucres frustra traducimus horas?
Ad medicam Diuûm præstat celerare proseuchen.

OMNES *Hic amor, hoc studium, nostra est hæc vna cupido.*

SCENA SEPTIMA.

DALMATIVS, MERCVRINVS Arianorum Episcopus, & CALLIGONVS, Hæreticorum de more, Sanctarum Reliquiarum cultum indignantur ac rident.

DALMAT.

MErcurine, caput fidei, rerumque sacrarum
Antistes, num tanta Itali comitia vulgi,
Et præter solitum Ambrosij concursus ad ædem
Vlla tuo tristi stomacho fastidia gignunt?

MERCVR.

Quos mihi concursus canis, & comitia? DALMAT. *Nescis!*

MER-

MERCVR. *Hactenus vt possem verbo medicare dolores*
Quos creat Augusto studia in contraria pronus
Cum populo procerum cœtus, patrumque corona;
Omni hominum me colloquio secreuit & vsu
Curia, nec motos potui rescire tumultus.

DALMAT. *Cùm nihil in terris famâ velocius esse*
Constet, eique leues quot sunt in corpore plumæ
Tot vigiles oculos verset, tot subrigat aures,
Tot, cœli medio nigranti noctis in vmbrâ,
Tot surgente die, tot decedente, tot atro
Vespere præcipites linguas, tot & ora resoluat,
Per freta, per terras, per nubila fusca, per auras,
Innumerosque aditus, & mille foramina, perque
Valuarum æratos, obiecta repagula, vectes;
Miror ego, cur illa tuos irrepere sensus
Non potuit, tanto præsertim exaucta tumultu.
Ecce dies nunc vnus abit, clauditque secundum
Qui nocturna rubens accendit lumina vesper,
Cùm, velut vndatim, vario certamine, plenos
Per vicos Mediolanum vomit ædibus omnes
Indigenas, motæque îsdem rumoribus vrbes
Finitimæ, proprios, quæ cuique est copia, ciues
Effundunt Diuæ properos ad limina Faustæ,
Vt cineres vt & ossa colant vmbrasque suorum,

Quas

Quas imâ cariem passas telluris ab aluo
Effodere, quasi Indigetum Diuûmque repostas
In numerum: quæ causa fuit cur protinus illi
Acciderent, struerentque suis altaria donis,
Indeque digressi solennes ordine pompas
Exequerentur ad Ambrosiÿ delubra. MERG. *Renarras*
Haud audita priùs, sed non incredita: namque
Ille vafer, fallax, anceps, veterator, vt omnes
Insubres cautâ faciles irretiat arte,
Ne tardi, quocumque velit, nictetue, sequantur;
Mille legit relegitque vias. Falsarius vt sit,
Falsificusue, aut falsidicus, modò vota secundent,
Pro nihilo putat, vt vanè popularibus auris
Extollatur, hyperboreo ceu flamine pluma.
CALLIGO. *Hunc igitur nobis da, Mercurine, laborem,*
Hanc operam, ne nostra loco, te principe, cedat
Relligio; si quos vrbis, fideique futuros
Exitio fortassè dolos es præscius illum
Consuere, opposito contrà molimine, cauto
Cautior, in melius, consutos dissue: vis vim,
Fraus fraudem, cuneus cuneũ dispellat. MERCVR. *Aperto,*
Luce palam, certum est contendere marte: per vmbras
Belligerent, cæcis qui fumida fraudibus vmbrant
Dogmata, quos vanos mendacesque improba fingit
Relligio; fucum mea detestatur, & vmbras.

Am-brof. ser-mo. 5. de SS.

Ibo

Ibo, nouasque viri technas, & callida verus
Nuncius Augusto referam commenta: morari
Namque nefas, vt in authores inquirat, & harum
Vndique solerter tentatâ indagine fraudum,
Castigetque doli fontes, subigatque fateri
Quò tanti insueta hæc fabricata est machina fuci.
DALM. *Laudo: vale: opportuna malo medicamina pone.*

SCENA OCTAVA.

In quâ mirantibus ciuibus sani egrediuntur de tẽplo ægri, & vnus correptus à dęmone.

LEONTIVS, ALCESIMVS, ARGYRODORVS, FLORVS, Orthodoxi: CYLLOPODES Claudus, ELEPHANTIACVS, MARASMODES siue hecticus, ASCITES solo ventre hydrops, DYSALTHES vlcerosus, SEVERVS officio Lanio.

SEVERVS.

Quas ego, quas laudes gratus, quæ carmina pangam
Geruasij Protasique sacris compagibus?
LEONT. *Ore*
Cur hilaro tibi de fibris cor exsilit? SEVER. *Atra*
Nox abit: abscedunt oculis errantibus vmbræ:
Haurio Phœbæam lucem: mortalia cerno
Corpora. ALCE. *Veridicas credam te pectore voces*

Promere? SEVER. *Veridicas: quid enim mendacia prosint?*
Si fallunt oculi, at non cætera membra: Seuerum
Qui nuper, propterque fores, propterque proseuchas
Templorum, exiguo viuebam ductilis ære,
Pernostis, reor, antè mihi quàm lumen ademptum,
Assuetum laniare pecus, cœsumque macello
Sistere. ARGYRODOR. *Vix alter mihi notior vrbe Seuero*
Est; sed enim veréne oculi tibi pupula claret
Cæca priùs? SEVER. *Priscæ nil cæcâ in fronte tenebræ,*
Ne dubius titubante gradu per compita lapsem,
Officiunt: quæ nube graui caligo tegebat
Antè, per humores, aciem, dilata repentè est
In nihilum: vestra hæc, fateor, miracula, Diue
O Prothasi cum Geruasio: vix namque pheretri
Pendula tela, pio ritu decus addita vestris
Relliquijs, venerante manu contingere limbum
Deducto mihi concessit; cùm protinùs ægris
Ex oculis piceam sensi decedere noctem.
FLORVS. *Iamque vides!* SEVER. *Video, luxque est certissima: curas*
Ancipites, dubiamque fidem procul exige: Diuis,
(Quorum ego de pheretris pendẽtia syrmata, palmis
Vt tetigi, admouique oculis, mora nulla, reuenit
Perdita lux) tribuenda omnis, post munera Christi,
Gratia. Mendicasque manus, veteremque proseucham

Desero:

Desero: prisca meas operas laniena reposcit.
Antè tamen, ne quem hæc fugiant miracula ciuem,
Vrbem obitabo: canam per singula compita, dono
Diuûm instauratos oculos, lumenque receptum.
Eia, probaturi Diuûm portenta, relictis
Aedibus, & curis operum, concurrite ciues:
Inspectate notas fidei quam vertere fundo
Nititur Arrius frustra. ORTHOD. PRIMVS. *Qui clamor ad aures*
Aduolat? SECVNDVS. *Vnde?* TERTIVS. *Quid est?* CYLLOP. *Noua sunt miracula: claudo*
En ego deformis qui iam vestigia gressu
Vix infixa dedi; pedicâ modò liber ab omni,
(Quique fauor Diuûm est) directus inambulo. ASCIT. *Quodque*
Indulgens arente siti tendebat aquosum
Pectus hydrops mihi, iam venis decessit. MARASMODES. *Adesi*
Corporis internas partes quæ insederat olim
Hectica, migrauit sano de corpore. DYSALTHES. *Plaga*
Distillare meis putridis ex artubus antè
Obfirmata, stitit, nullo medicamine, cursum.
ELEPHANT. *Quæ mihi tot, Barrhi vt corium, durauerat annos*
Tetra cutem inducens densas Elephantia crustas,
Excidit, atque nouæ rediere in pristina vires,
Incolumisque salus liquido cum sanguine vitam

SCENA QVARTA.

In quâ ſupplicationem inſtituentes Epiſcopi cum vniuerſo Clero & populo, Sanctorum Geruaſij & Prothaſij Corpora ſolenniter ex templo S. Fauſtæ, quò pridie deportata fuerant, ad Baſilicam Ambroſianam transferunt, præeunte Præcone, & manentibus Pauperibus.

PRÆCO.

Qvid veſtra infeſtas intempeſtiua moleſtè
Ingeritis malè morati veſtigia pompas?

CYLLOPO.

Venimus oratum Diuos medicamina morbis.

PRÆCO. *Opportuna preci non ſunt hæc tempora: veſtros*
Vertite retrò gradus, longéque abſiſtite circo,
Ne qua interturbet ſolennem turba triumphum.
Mox vbi Diuorum venerata reſederit vrna
Ambroſiani adytis templi in penetralibus; iſtic
Fas erit illorum Superumque vocare fauorem
Veſtra in vota, aliquotque dies æquare precando
Noctibus. ASCITES. *Hìc ſedeamus humi, dum ex ordine pompa*
Defluat: interea miſeros duo forte ſequentur

Nos

Nos bonà: namque pias si qua miseratio mentes
Permoueat, nostras onerabit paucula dextras
Sportula, credo; per & compendia temporis istoc
In celebri Diuûm cineres atque ossa triumpho
Pontificum deuecta humeris, vbi nostra videntûm
Lumina transierint; sinuato poplite, palmâ
Supplice, proiecti in terram exposcemus ab alto
Depluat auxilium in mala, nos quæ multa fatigant
Ex longo, subitóque salus, vt spero, sequetur.

PAVPERVM GREX.

Apposite nobis quæ das consulta probamus.

SCENA QVINTA.

In quâ puerorum octo, ornatu Angelico, floreis coronis redimitorum, herbas odoriferas perspergentium de calathis, & instrumenta musica manu tenentium Chorus præit Supplicationi, & SS. Martyrum, quorum Corpora ad basilicam Ambrosianam transferuntur, solennitati.

PRIMVS PVER.

GEntis Italicæ decus,
Omnis quæ Ligerim bibis,
Epotasque Padum cohors,
Quæ sacræ Triados fidem
Nil mori metuens colis
Ante Cæsaris ora;

Rorulenta leuis tua
Infer in topiaria
Longè ſepoſitis moris
Cum vagis oculis pedes:
Cur inertior hæres?

SECVNDVS PVER. *Euge corripe falculas:*
TERTIVS. *Euge forſiculas cape:*
QVARTVS. *Euge porrige pollicem*
Dexteræ ad digitum manus:
QVINTVS. *Brachio ingere qualos.*

SEXTVS. *Serta collige florea,*
Quæ dabunt anemonium,
Caltha, leucoïon, roſa,
Lychnis, Iris, & Heſperis,
Cum rubente Hyacintho.

SEPTIMVS. *Menta, pſeudomelanthium,*
Anthemis, thymus, aiuga,
Iuncus, abrotanum, crocus,
Spica Nardi, hypoglottion
Oppleant calathiſſos.

OCTAVVS. *Tota nectareis humus*
Suauè fragret odoribus,
Ingemant myrothecia
Lacrymantibus vndulis,
Thure fumet acerra.

SECVNDVS. *Fila ſtupea quæ linit*
Cera Punica, luminent

Vrbis

Vrbis omnia compita.

PRIMVS. *Clareat picea eminens,*
Luce concha fenestris.

TERTIVS. *Tot per aëra flammulas*
Aemulæ iubaris faces
Vndique eiaculent, suâ ut
Lampade exsuperent diem,
Noxque victa fatiscat.

QVINTVS. *Hîc sacræ fidicen lyræ,*
Cinge tempora floribus
Dulce olentis amarici,
Excitusque hilaro die
Barbiton quate plectro.

QVARTVS. *Cymbalum, citharam, chelyn,*
Tibiam, crotalum, tubam
Ferte qui numeros manu
Atque chromata spiritu
Et tonum ore citatis.

SEPTIMVS. *Quid moramini? abit dies.*
SEXTVS. *Festa Geruasio dies.*
OCTAVVS. *Sacra Prothasio dies,*
Digna lætitijs dies.
SECVNDVS. *Cui nuens fauet æther.*

PRIMVS. *Tetricis fora litibus,*
Anxitudinibus domus,
Officinæ operis, agri,

Arua,

Arua, rura laboribus
Feriata vacanto.

En coit celeberrimo
Clerus ordine Præsulum
Hinc & inde sequentium
Elegante frequentiâ
Præter & solitum & modum
Auctior, Superûm Patri
Plena laudis vt hymnifer
Ritè cantica succinat,
Quòd solo eruta Martyrum
Hoc die ossa retexit.

Ergò composito huc fluat
Omnis Italus agmine,
Pusio, Iuuenis, senex,
Virgo, nupta, Vir, Indigus,
Diues, Aduena, Ciuis.

Qui fidem Triados colis,
Fronte symbola gaudij,
Ore, carminis optimum
Da, die hoc celeberrimo,
Ante Cæsaris ora.

SCENA

SCENA SEXTA.

In quâ constituunt intrare templum pro recuperandâ, martyrum meritis, sanitate, CYLLOPODES, ELEPHANTIACVS, MARASMODES, ASCITES, DYSALTHES, SEVERVS officio lanio.

SEVERVS.

NVlla meis dêinceps immurmurat auribus oda.

CYLLOPOD. *Ambrosiani omnes templi in penetralia gressus*

Atque sacros Diuûm cineres vrnamque tulere.

SEVER. *Ne qua interturbet solennem turba triumphum*

Dêinde, timoris erit nihil. ELEPHANTI. *Ergo relinquere tempus*

Hanc tenui Cereris frusto, nummoue proseuchen

Vix habilem, quam tot nequicquam insedimus annos.

MARAS. *Insimul in templum gressus, animosque feramus,*

Et nostris dabitur morbis animisque proseuche

Gratior. ASCIT. *Optatam sitiens hydropisis vndam*

Crudescet, nec aquosa graui de corpore pestis

Desu-

Defugiet, nisi prima mali turgentis origo
Exierit venis: ideo properanda salutis
Est via, quæ se vltro, nil tale putantibus offert.

ASCITES.

Quid fando volucres frustra traducimus horas?
Ad medicam Diuûm præstat celerare proseuchen.

OMNES *Hic amor, hoc studium, nostra est hæc vna cupido.*

SCENA SEPTIMA.

DALMATIVS, MERCVRINVS Arianorum Episcopus, & CALLIGONVS, Hæreticorum de more, Sanctarum Reliquiarum cultum indignantur ac rident.

DALMAT.

MErcurine, caput fidei, rerumque sacrarum
Antistes, num tanta Itali comitia vulgi,
Et præter solitum Ambrosij concursus ad ædem
Vlla tuo tristi stomacho fastidia gignunt?

MERCVR.

Quos mihi concursus canis, & comitia? DALMAT. *Nescis!*

MER-

MERCVR. *Hactenus vt possem verbo medicare dolores*
Quos creat Augusto studia in contraria pronus
Cum populo procerum cœtus, patrumque corona;
Omni hominum me colloquio secreuit & vsu
Curia, nec motos potui rescire tumultus.

DALMAT. *Cùm nihil in terris famâ velocius esse*
Constet, eique leues quot sunt in corpore plumæ
Tot vigiles oculos verset, tot subrigat aures,
Tot, cœli medio nigranti noctis in vmbrâ,
Tot surgente die, tot decedente, tot atro
Vespere præcipites linguas, tot & ora resoluat,
Per freta, per terras, per nubila fusca, per auras,
Innumerosque aditus, & mille foramina, perque
Valuarum æratos, obiecta repagula, vectes;
Miror ego, cur illa tuos irrepere sensus
Non potuit, tanto præsertim exaucta tumultu.
Ecce dies nunc vnus abit, clauditque secundum
Qui nocturna rubens accendit lumina vesper,
Cùm, velut vndatim, vario certamine, plenos
Per vicos Mediolanum vomit ædibus omnes
Indigenas, motæque îisdem rumoribus vrbes
Finitimæ, proprios, quæ cuique est copia, ciues
Effundunt Diuæ properos ad limina Faustæ,
Vt cineres vt & ossa colant vmbrasque suorum,

Quas

Quas imâ cariem passas telluris ab aluo
Effodere, quasi Indigetum Diuûmque repostas
In numerum: quæ causa fuit cur protinus illi
Acciderent, struerentque suis altaria donis,
Indeque digressi solennes ordine pompas
Exequerentur ad Ambrosij delubra. MERG. *Renarras*
Haud audita priùs, sed non incredita: namque
Ille vafer, fallax, anceps, veterator, vt omnes
Insubres cautâ faciles irretiat arte,
Ne tardi, quocumque velit, nictetue, sequantur;
Mille legit relegitque vias. Falsarius vt sit,
Falsificusue, aut falsidicus, modò vota secundent,
Pro nihilo putat, vt vanè popularibus auris
Extollatur, hyperboreo ceu flamine pluma.
CALLIGO. *Hunc igitur nobis da, Mercurine, laborem,*
Hanc operam, ne nostra loco, te principe, cedat
Relligio; si quos vrbis, fideique futuros
Exitio fortassè dolos es præscius illum
Consuere, opposito contrà molimine, cauto
Cautior, in melius, consutos dissue: vis vim,
Fraus fraudem, cuneus cuneũ dispellat. MERCVR. *Aperto,*
Luce palam, certum est contendere marte: per vmbras
Belligerent, cæcis qui fumida fraudibus vmbrant
Dogmata, quos vanos mendacesque improba fingit
Relligio; fucum mea detestatur, & vmbras.

Ambros. sermo. 5. de SS.

Ibo

Ibo, nouasque viri technas, & callida verus
Nuncius Augusto referam commenta: morari
Namque nefas, vt in authores inquirat, & harum
Vndique solerter tentatâ indagine fraudum,
Castigetque doli fontes, subigatque fateri
Quò tanti insueta hæc fabricata est machina fuci.
DALM. *Laudo: vale: opportuna malo medicamina pone.*

SCENA OCTAVA.

In quâ mirantibus ciuibus sani egrediuntur de tẽplo ægri, & vnus correptus à dęmone.

LEONTIVS, ALCESIMVS, ARGYRODORVS, FLORVS, Orthodoxi: CYLLOPODES Claudus, ELEPHANTIACVS, MARASMODES siue hecticus, ASCITES solo ventre hydrops, DYSALTHES vlcerosus, SEVERVS officio Lanio.

SEVERVS.

Quas ego, quas laudes gratus, quæ carmina pangam
Geruasij Protasijque sacris compagibus? LEONT. *Ore*
Cur hilaro tibi de fibris cor exsilit? SEVER. *Atra*
Nox abit: abscedunt oculis errantibus vmbræ:
Haurio Phœbæam lucem: mortalia cerno
Corpora. ALCE. *Veridicas credam te pectore voces*

Desero: prisca meas operas laniena reposcit.
Antè tamen, ne quem hæc fugiant miracula ciuem,
Vrbem obitabo: canam per singula compita, dono
Diuûm instauratos oculos, lumenque receptum.
Eia, probaturi Diuûm portenta, relictis
Aedibus, & curis operum, concurrite ciues:
Inspectate notas fidei quam vertere fundo
Nititur Arrius frustra. ORTHOD. PRIMVS. *Qui clamor ad aures*
Aduolat? SECVNDVS. *Vnde?* TERTIVS. *Quid est?* CYLLOP. *Noua sunt miracula: claudo*
En ego deformis qui iam vestigia gressu
Vix infixa dedi; pedicâ modò liber ab omni,
(Quique fauor Diuûm est) directus inambulo. ASCIT. *Quodque*
Indulgens arente siti tendebat aquosum
Pectus hydrops mihi, iam venis decessit. MARASMODES. *Adesi*
Corporis internas partes quæ insederat olim
Hectica, migrauit sano de corpore. DYSALTHES. *Plaga*
Distillare meis putridis ex artubus antè
Obfirmata, stitit, nullo medicamine, cursum.
ELEPHANT. *Quæ mihi tot, Barrhi vt corium, durauerat annos*
Tetra cutem inducens densas Elephantia crustas,
Excidit, atque nouæ rediere in pristina vires,
Incolumisque salus liquido cum sanguine vitam

Recreat. SEVER. *Hac nos vſque tenus ſine laude proſeuchas*
Inſediße diu vacuos, operumque ſolutos,
Pro ſtipe vicatim ſurdis faſtidia clauſtris
Et foribus peperiſſe, vacat. Nos priſca repoſcunt
Inſtrumenta, quibus vitam in ſudore trahamus.

CYLLOP.

Arma mihi properate viri. ASCIT. *Rata cæſa.*
MARASM. *Ligones.*
DYSAL. *Vomeris os, cuneos, terebella, dolabra, bipennes.*
ELEPHANT. *Ductandis moderanda manu date lora quadrigis.*
SEVER. *Stips vale.* CYLLOP. *Lenta proſeucha vale.* ASCIT. *Vale ſportula.* ELEPH. *Nullas*
Deinde petace graues clamore necabimus aures.

SCENA

SCENA NONA.

In quâ Ariani arreptum à dæmone Arianum, quòd pro sanctissimâ Trinitate, Martyribus Geruasio & Prothasio, Ambrosioque loqueretur, aquis immerserunt.

DALMATIVS, CALLIGONVS, DÆMONOLIPTVS, & Orthodoxi: & Arianorum chorus.

DALMAT.

Tollite. CALLIGO. *Clamoso fauces elidite.* DALMAT. *Vasto Sacrilegum pro demeritis inuoluite Pôto.*

DÆMONOL.

Me, Protasi, crucias: crucias me, Geruasi: aduris
Me grauiùs quàm quæ manes incendia flammant,
Ambrosi. ARIAN. PRIMVS. *Inextinctis tua te dementia flammis*
Tartareos prequam Manes ne torqueat; altis,
Vt madidere, tuos artus mersabimus vndis.

DÆMONOL.

Quos! ô! quos nunquam expertos miserabilis ignes
Perfero! quin eadem cunctos incendia torrent,
Sacrilegâ qui voce negant adiungere Diuis
Martyribus Triadique fidem, cultumque, docente
Ambrosio! DALMAT. *Quid statis? in hac mersate propinquâ*

Piscinâ amentem, ne nos dementet, & vrbem,
Cum reliquis quos Ambrosij fallacia captat.

SCENA DECIMA.

In quâ Arianis decedentibus, Ambrosius cum Paulino, Simpliciano, Leontio & alijs Orthodoxis, docetur de Arianorum factis contra Beatos Martyres & fidem Sanctissime Trinitatis, quos ipse magis in fide confirmat.

AMBROSIVS, PAVLINVS, SIMPLICIANVS, LEONTIVS, ET ORTHODOXI.

LEONT.

NVnc Triados dum multa fidem miracula firmant,
Arianus acerbatas exardet in iras:
Inter se rabido collisis dentibus ore,
Ringitur: ad viuum macies exulcerat ossa
Inuidiosa, suosque furens desæuit in artus.

ORTHODOX. PRIMVS.

Extrarî nil testis opus: medio ecce videmus
Lucidiora die data signa domestica: Diuum
Geruasium socio cum Martyre nescius æquâ

Mente

Mente pati (monstris quia prodigialibus,
ArrI
Infirmant reprobantque fidem) verumque fateri
Numinis impulsu pressos Cacodæmonas, aure
Excipere auersus fremit, indignatur, acerbat
Se, sine more, suique trucem ferus euomit vndam
Irati stomachi in miserum de plebe suorum,
Quem demersit anarpaston stagnante lacunâ.

ORTHOD. SECVNDVS.

Immansuetus aquis mersit, iura omnia contra,
Quem fidei meritis, operumque valore, catenis
Implicitum Stygijs, prensumque tyrannide clemens
Debuerat laxare. ORTHOD. TERTIVS. *Quid est, quod sæuiter actum*
Emirare? nihil fidei, meritique, bonique
Arrianus habet: quod inest in pectore clusum,
Hoc auras, vt fimeto graue-olente, vaporat.

AMBROS. *Quas hîc inter vos haurire ac reddere voces*
Continuatis? LEONT. *Inhumanum quod anhela furore*
Diuorumque odio gens Arriana repentè
Commisit facinus, ne circumfusa tenebris,
Quam colit, obseruatque, fides clareret in orbe.

AMBROS. *Quod memoras facinus?* LEONT. *Vix euulgata per vrbem*
Fama fuit, Claudum imparibus qui passibus ibat;

 Helcoden,

Helcoden, cùi de membris immunda fluebat
Illuuies; Ascitem alium, cui dirus aquosum
Pectus hydrops feruente siti tendebat; vtroque
Captum etiam lanionem oculo; nec dispare casu
Perculsos, malè quos Acheronticus hostis habebat
Ingeminans fera possessos tormenta per artus;
Et varijs grauiter lugentia corpora morbis
Multa, salutarem, visu, tactuve sacrorum
Geruasij & ProtasI cinerum, retulisse medelam:
Quando Palatini, manibus, pedibusque reuinctum
Arij de sacrilegis fautoribus vnum
Proxima præcipitem iaciendum in stagna trahebant,
Cuius ab ore loquens Cocytius incola, nostram
Voce fidem, turbâ circùm mirante, probabat,
Optabatque pari secum flammesceret igne
Qui diuersus ab Ambrosio, cultuque, fideque,
Nec Triadi, neque Martyribus rata sacra litaret.

AMBROS. *Quod fuit exodium, tristisque catastropha casus?*

LEONT. *Merserunt miserum torpentis in æquore stagni.*

AMBROS. *Cernitis æthereo contra, nos, hostica, cingi*
Præsidio? me vallarent hæc arma, poposci:
Omnibus hæc prosunt: nulli aduersantur: eorum
Auxilium si non oculo exteriore videmus;

Interiore

Interiore tamen, quæ cœli est gratia, sensu
Accipimus. Quod Elizëides pro tempore Gîezi
Non vidit, terrore aciem tenebrante; reclusis
Pòst oculis, votis adiutus herilibus, hausit.
Obruta sanctorum tacito dum corpora terræ
Delituere sinu, densis nox obruit vmbris
Nostram oculorum aciem: simul ac Deus aspulit
vmbras,
Subsidio nobis adstantia vidimus arma.
Gloria Geruasÿ Protasîque afflictat, inane
Virtutum Arrÿ vano pro dogmate vulgus
Obliquâ inuidiâ, stimulisque furentibus, horum
Funestis accensum odÿs; quia quanta merentur
Ornamenta, nequit iustâ discernere lance;
Hoc scit, & æthereas, nolitque velitque, per
auras
Propalat Inferni grex illætabilis antri:
Talia iactabat Christo increpitante morantem
Possesso iuuenis decedere corpore, pleno
Isacidûm in cuneo simili cum voce: quid istùc,
Vera Dei soboles, atque indubitata propago
Christe, venis immaturè nos angere? Vestras
Ista penetrarunt Phlegethontica, credo, per
aures
Verba, quibus verè à Iesu crudelia clamant
Se tormenta pati, quamuis incredita cordi
Iudæo: paribus dictis, fremituque fatentes
Dæmonas audistis, se vi meritoque sacrorum
Torqueri cinerum, terræ quos nuper ab aluo

 Eruimus,

Eruimus, dignis delubra per Itala votis
Sortis in aduersæ curam, studiumque vocan-
dos.
Venerunt faciles patientûm in vota vocati:
Pernegat Arrianus eos pessumdare posse
Dæmonas, & medicam præstare petentibus ar-
tem,
Diuorum meritis oculos lumenque receptum,
Qualiter à Christo quondam Pharisaica con-
tra
Agmina, Cæcus ait; Pharisæus & Heresis il-
lud
Inficiantur. Vt ad cœli miracula Memphis
Excantata Erebi monstris induruit olim,
Sic Arrius, eumque sequi pugnaciter instans
Turba; cui mentem Deus vt demutet, opimis
Hinc eo cum precibus cumulatum altaria do-
nis.

SCE-

SCENA VNDECIMA.

IVstina ſola ſecum loquitur, quaſi furens ob ſuceſſum Orthodoxorum; & extortam à filio ſuo ſanctionem, quâ publicos Concilij Ariminenſis Conuentus agi concedebat, magnaſque pœnas comminabatur Catholicis eos impedire volentibus, ſcribi iubet per Beneuolum, aliàs Meniuolum: quod ille negat ſe poſſe facere, honoribuſque ſe & lucroſo quæſtu volens ac lubens abdicat, dum illa cum Xiphiphoro quodam ſicario de interimendo per inſidias Ambroſio, agit.

IVSTINA ſola ſecum loquitur, inter ſe colloquentibus eminus XIPHIPHORO, EVTHYMIO, & INNOCENTIO mago.

IVST.

QVis, Iuſtina, tibi cernenti talia ſenſus?
Nonne dabis gemitus proiectâ abiectior algâ?
Ecce nouè Stygias Erebi commenta per artes
Omne Palatinis diſcors miſerabile vulgus

Et po-

Et populum rapiunt ſtudia in contraria noſtris
Dogmatibus, peßumque fidem, ſceptrumque regentis
Imperiumque, premunt: ſic mentis Epiſcopus impos,
Non oculos modò, ſed mentes effaſcinat ore.
Nil exerta mei potuerunt ſpicula gnati:
Nil multæ fecere preces: nil efferus armis
Eualuit Gothus: ipſa tibi ſuſpenſa cadit ſpes,
Quando tuos ludit nutus, ridetque miniſter
Miles, & aſpernans tua ſceptra potentia ciuis.
Ergo viro tu, vixque viro ſubiuncta, iacebis
Hîc Iuſtina? animum ſtrataſque recollige vires:
Concute fœcundum pectus. Nil ſuggerit iſtic
Ars irata mihi: num me eſſe pudebit inertem?
Non ideò abſiſtam: Ambroſius morietur, in omnes
Quanquam adeò partes me vertere oporteat. Audi
Quæ iubeo, dexter certo Xiphiphore telo.

SCE-

SCENA VNDECIMA.

PERIOCHA.

IVstina, post emissum ad Ambrosij cædem Sicarium, Euthymium inducit ad parandas eidem insidias, vt eum in exilium euehat. Magum item vnum Innocentium nomine, qui execrandis carminibus educat dæmonum legiones, vt viro noceant.

MENIVOLVS aliàs Beneuolus, Valentiniani Archigrammateus, hæc solus secum, dum Iustina alloquetur Xiphiphorum, tractabit.

MEniuole, officio abiecto, procerumque fauore, &
Spe lucri, miserumne trahes inglorius æuum?
Quid? miserum? exerras anime: immò beatius vllum,
Quo-te-cumque loci vertas, nemo exigit: Aulæ
Exsilium, exsilium officij, patriæque, domusque,
Perferre antiquâ pro Relligione, beatorum
Est. Pharaoniadis Moses Thermutis ab aulâ
Defugiens, & sola petens deserta, cateruis
Hebræis legitur Ductor. Iosephius ille

Iacobides

Iacobides, animi quondam quòd castus, abollâ
Reiectâ in gremium Putipharidis, Aulam & amo-
res
Exierit maior vinclis & carcere; primos
A rege Aegypti tandem est indeptus honores.
Contrà, vbi iacturam fluxi Pilatus honoris
Extimet, Augustique iras incessere parcit;
Tanquam insons lauit amne manus, Christumque
cruci dans
Igni laudis emax æternum in dedecus amens
Proruit. A patrijs profugi qui pellimur oris,
Dereptasque videmus opes, licet exsule simus
In terrâ indecores, quos fama obscura recondit;
Non erimus cœlo indecores, neque nostra feretur
Fama leuis. Nulla ergò mihi iactura bonorum
Est; nec ab officio quidquam deperditur. IVSTI-
NA. *Ito*
Mox animi fidens: sicam tege veste, nec vlli
Detege quam molire necem. XIPHIPHO. *Mihi*
maxima rerum
Verborumque fides. IVSTINA. *Huic si malè dex-*
tra deerret,
Diuersas volo inire vias, ne fortè deerrent
Ambrosio sua fata. Animis mihi state paratis
Vos duo, quorum aliàs promptos sum experta labo-
res.
EVTHYMI. *Vtere nostrûm amborum operâ, vel*
abutere: votis
Nos, Augusta, tuis, viresque, animasque vouemus.

IVSTI.

IVSTI. *Propensos nobis animos (quæ gratia vestra est)*
Dilaudo: nunquam hanc operam impendisse pigebit.
Euthymi, biiugis rapidum celer instrue currum, &
Ambrosij ante fores perpes stabulato: simulque vt
Secretum famulis ac moriloquo famulatu
Videris, implexam imprudenti coniice dextram,
Carpentoque tuo iniectum citò transfer in oras
Externas, exsul miserum quibus exigat æuum.

EVTHYM. *Parebo.* IVSTINA. *Tu, quem auspicijs melioribus vti*
Conspicuum est, herbâ Ambrosium vitalibus auris
Eripe, collatosque mihi pensabo labores.

INNOCENT. *Carmina, cùm nox atra cauâ circumruet vmbrâ,*
Aggrediar: moxque hîc victorem me affore cernes:
Nam neque me famuli, neque me mea carmina fallunt.

IVSTI. *Gaudeo: si fallet fortuna infida priorum*
Successus, non illa tuas eluserit artes.
Seu gladio, siue arte cadat caput hostis, acerbum
Exsatiaro animum: sorti namque æquus vtrique est.
Si nequeo victrix votique euadere compos
Arte meâ, haud equidem dubitem implorare quod vsquam est,
Dum cadat, & sceleratam animam meus exspuat hostis.

Paulinus in vita Ambros. & ipse Ambros. in conc. de basilica non tradenda.

Paulin. in Ambro. vita.

SCENA

SCENA DVODECIMA.

In quâ ab Angelis defenditur S. Ambroſius, ab inimicis tribus.

S. MICHAEL, S. RAPHAEL, XIPHIPHORVS, EVTHYMIVS, METISCVS.

S. MICHAEL.

Ambroſi, inexpertos hodie, nil conſcius, hoſtes
Experiere, ſed eneruos ſine viribus hoſtes.
S. RAPHAEL. *Spes innixa Deo puram ſub nocte quietem,*
Securoſque metus, dat, citra inſomnia, ſomnos.
XIPHIPHO. *Obſtupeo: Ambroſius tecti de limine nuſquam, vt*
Cyllopodes, ſutor greſſum extulit: attamen iſtinc
Nunquam hodie retroflexa domum veſtigia vertam,
Ni priùs hanc miſeri in pulmone recondero ſicam.
EVTHYMI. *Si nequeam Ambroſium furtiuè imponere carro,*
Et raptare virum exſilio, mea cura, fideſque
Iuſtinæ promiſſa nihil culpabitur: iſtanc
Namque in rem ſtabulat præſepi in proximo, equorum

Pat

Par velox pecoris generosi pullus, & altè
Ingreditur, sensimque in humum sua crura reponit.
Si saltu superare viám, vel præpete longa
Carpere prata fugâ, aut fluuios tranare rapaces
Expediat, facilè æripedes supereminet omnes.
Quàm verò facilis, quàm nulli obnoxia scrupo,
Ambrosio furando habilem trahat orbita currum,
Si sinerent sensus, nolintue, velintue, fateri
Debuerint per aperta volans & currus Vlyssis
Et BelgI esseda. Nunc opus est vnâ arte magistri
Aurigæ, manibus qui gnarus & aptus habenas
Dirigat. METISCVS. *Ancipiti curâ te exsolue: videbis*
Quàm doctâ arte regam per scrupea & auia currum.
EVTHYM. *Ergò vbi carpento furax iniecero raptim*
Ambrosium, mora nulla, celer sta verbere torto,
Et pronus da lora: volet vi feruidus axis.
METISC. *Quid dubitas? rota labetur velocior Euro.*
INNOCENT. *Ambrosium contra, infaustæ mala frugis in vnum*
Sparsa lego, quæ eduxit Eryx, quæ Medus, Arabsque,
Quæ Parthus, quæ Promethei de sanguine tinctus
Caucasus, & nocuos quoscumque Hercinia succos
Sylua tulit, Vere, Autumno, atque Aestate, Geluque.
Has (nec enim fallor) pestes mihi contulit Athos
Aemonius: dedit has Pindus: teneram illa cruentâ
Falce comam posuit Pangæo in vertice: Tigris

In suprema parte domus Ambrosij.

Has aluit: has Danubius: has tinxit Hydaspes.
Nunc vbi cantatus segetem demessuit vnguis,
Exprimo serpentum saniem, obscænasque volucres
Misceo, bubonis cor illætabile, raucæ
Et strygis exsectæ spirantia viscera. Certis
Iam mihi sunt discreta locis ponenda, venenisque
Intritis, superest cantantia iungere verba.

XIPHIPHO.

Heu! metuo ne sica viro suspecta sit. EVTHYM.
Hîc non
Comparet: frustra opperior, standoque fatigor:
Nequidquam elusus biiugos conduxero: rursum
Ibo tamen circum, lustraboque Præsulis ædes,
Vt cautè explorem num solus obambulet vsquam.
INNOCEN. *Hîc fallax nihil herba valet, nil carmina, nil frux:*
Ergò mihi auxilio chaos Infernale vocandum est.
Huc Apatire, Epagoge, Epiroure, Moloche, venite.

SCENA DECIMA TERTIA.

In quâ euocantur EPAGOGVS, APATIRVS, EPIROVRVS, MOLOCHVS, Innocentij magi Genij familiares, in Ambrosij damnum.

APATIRVS.

ADsumus. EPAGO. *Obsequimur.* EPIROVR. *Remis, velisque volamus.*
MOLOCH. *Ecce tibi dicto citius paremus.* INNOC. *Obite*
Quæ iubeo celeres. OMNES. *Auidâ tua iussa bibemus*
Aure, iube. INNOCEN. *Ambrosium mihi tollite funere: inausum*
Namque ego nil sollers intentatumque reliqui,
Vt misero eriperem vitalia lumina, verùm
Omnia nequidquam: quando mea torpet iners ars;
Ite, illum, illiusque ædes incendite. OMNES. *Quippe!*
APATIR. *Ambrosius nostris est infestissimus armis.*
EPAGO. *Ambrosius nostris spolia eripit omnia vinclis.*
EPIROVR. *Ambrosius nostros oculo cauet alite casses.*
MOLOCH. *Ambrosius nostras verbo capit illice prædas.*

 INNOC.

INNOCEN. *Ite igitur, mihique inuisum, vobisque molestum*
Excantate caput, rapidâque extinguite flammâ.
OMNES. *Tentamus volucri tua iussa capessere nisu.*

SCENA DECIMA QVARTA.

IN quâ ab insidijs Euthymij & Sicarij Xiphiphori vindicatur Ambrosius: Xiphiphorus propter impeditum miraculo brachium, pœnitens Arianismum deserit.

Personæ sunt præter superiores,
AMBROSIVS, CASTVS, ET PAVLINVS.

EVTHYM.

EVthymi, ad prædam, furtumque incumbe: Metisce,
Ecce tibi Ambrosius: volucres prōptâ obuius axes
Flecte manu: Erratum est: stipans conatibus obstat
Turba meis. CASTVS. *Lege retrò gradum: caue vim: caue sicam,*
Præsul amate Deo. EVTHYM. *Nunc illius ædibus ædes*
Contiguas, vt fausta fluant concepta, parabo.
CAST. *Quid, Præsul, cunctare?* AMBRO. *Dei me dextra tuetur.*

PAV-

PAVLINVS.

Et furibundus adhuc facinus furiale cruento
Prosequeris telo, vulnusque intendis? CAST. *Adhucne*
Sacrilegâ tibi dira minax crispatur & haeret
Sica manu? AMBROS. *Quid pergis adhuc? quid, amice, quid instas*
Conficere affectum malè crimen? inanis inanem
Exhauris operam: viden' vt caelestibus armis
Diuinoque vmbone tegar? pergisne? patescit
Mens malè sana, scelusque tuum: quid perfuris? illud
Infandum patrare nefas quod concipis, horreo;
Ipse reus nondumne horres? culpaeque, tuique
Me miseret: culpaeque tuae, ipsiusque tui te
Non miseret? non agnoscis? non percipis iram
Diuinam, quae te insequitur, vindexque flagellat?
XYPHIPH. *Certa (fatebor enim) pactus tibi funera sicâ hac*
Decrêram: sed enim diuo vetor obijce: dextra
Namque repentè manus praetenta exaruit, vllis
Quam nequeo rigidam neruis adducere: culpam
Poena comes premit. At redeunt in pristina vires:
Arentem medicat dextram confessio. AMBROS. *Monstrant*
Haec ostenta Fidem, seruique fidelis amorem
In Christum, cui sunt tantae nostra omnia curae.
XYPHIP. *Ne, quaeso, licet immeritum, me reijce, Praesul:*

Paulin. in vita Ambro.

Pœnitet admißi sceleris: deterge, bonâque
Prosequere, ô! veniâ commissa piacla fatentem.

AMBROS. *Cùm Deus admisso diuertat crimine pœnam,*
Sitque mihi hæc illata meis iniuria culpis;
Obliuiscor, vt hinc obliuiscare nefanda
Quæcumque Arÿ hæserunt contagia menti
Fœda tuæ: gratare Deo. XIPHIPH. *Gratabor, eroque*
Christicolûmque, tuique sequax, dum prefruar aurâ hac.

SCENA DECIMA QVINTA.

IN quâ recedentibus Ambrosio cum suis, remanent genij mali, accedentibus S. MICHAELE & S. RAPHAELE supra domum S. Ambrosij, à quibus Dæmones flammis torti, defugiunt.

APATIR.

QVis turbo! EPAGO. *Quæ tempestas!* EPIRO. *Quæ flamma!* MOLO. *Quis ignis!*
EPAG. *Me miserum! cæli flammis vltricibus vror.*
MOLOC. *Cælestis chorus igne minax ardentia circum*

Tecta tegit. EPIROVR. *Flammata foris incendia glißcunt.*

APATIR. *Exedor.* EPAGO. *Inflãmor.* EPIROVR. *Flagro.* MOLOCH. *Consumor.* APAT. *Aduror.*

EPAG. *Incassum Ambrosio mortem prætendimus.* MOLOCH. *Omnem*

Ludimus amentes operam. APAT. *Non proficit hilum*

Intentata viro mors Infernalis. EPIROVR. *Eamus:*

Namque videtis vti totam circùm vndique cingat

Flamma domum. EPAGO. *Propiore aditu prohibemur ab hoste*

Maiori, quem eleemosynæ, ieiunia, vota

Conductum cœlis excantauere. MOLOCH. *Potestas*

Nostra iacet. APATIR. *Sumus enerui.* OMNES. *Superamur ab vno*

Ambrosio. EPIROVR. *Pudeat rediÿsse.* EPAG. *Hinc me neque terga*

Ira dare & virtus patitur. APATIR. *Deus vrget.* OMNES. *Eamus.*

S. RAPHA. *Ambrosius quia præsidium cœleste petiuit,*

Diffisusque sui, prece supplice totus ab Aulâ

Aethereâ, curâque Dei vigilante pependit;

Nullæ hominũ, Infernique acies, nullus pauor illum

Succußit, neque turbauit. S. MICHAEL. *Si multa coronat*

Turba inimica Sion; multa illam turma coronat
Præsidio, & circùm valido quasi monte, tuetur.
S. RAPHA. *Omnia si turbata tremũt, si labitur orbis;*
Innocua horrescunt iustum tetigisse ruina.

SCENA DECIMA SEXTA.

IN quâ EVTHYMIVS, XIPHIPHORVS, INNOCENTIVS, Genij mali quatuor, IVSTINÆ, suas artes & vires nullas fuisse in Ambrosij malum, referunt. MERCVRINVS insanientem ob hos nuncios Iustinam etiam acuit, & ad Valentinianum cum ipsâ pergit.

EVTHYM.

NVnquam hodie nostris solum se obtutibus iste
Offeret: opperior frustra. XIPHIPH. *Proh! qualia facti*
Nequitiæque refers Xiphiphore præmia: totum
Nunc traheres operis impar & inutilis æuum,
Ni diuina tulisset opem tibi dextera. Væcors
I posthac, Augustæ ambi prensaque fauorem.
Iustinæ referam, offensæ dispendia dextræ
Cui subitam tulerit præsens metanœa salutem.
EVTHYM. *Insidias tibi morigeras, Augusta, tetendi*

Ambrosio

Ambrosio. XIPHIPHOR. *Ambrosium mucrone, Augusta, petiui.*

IVSTI. *Successu caruere suo vestra ausa?* EVTHYM. *Nec hilum*

Tantorum impensis operum studijsque sequutum est.

Tecta, velut sutor claudus, penetralia seruat:

Aut, si aliquando foras, nunquã incomitatus, iniuit.

XIPHIPH. *Vt primùm sicam eduxi, adductoque lacerto*

Districtam aduersi in pectus mortemque leuaui;

Dextra repentè manus prætenta exaruit, vllis

Nec potui neruis rigidam laxare, nec ad me

Attrahere, antiquas donec confessio vires

Restituit. MERCVRI. *Magicâ (certum est) exercuit arte hæc.*

XIPHIPH. *Quicquid id est, diuum sensi vindexque flagellum*

Criminis: hoc verò magicas venisse per artes,

Facundo mihi nemo hominum persuaserit ore.

Vnde ego iam Ambrosium in Diuini Numinis esse

Tutelâ reor: Arium autem, eiusque sequaces

Hæreticos, vinclis fatali à dæmone stringi.

Hinc celer Ambrosium sequor, Ariumque relinquo.

IVSTI. *Quid tentabo? breui in dubijs mihi consule rebus,*

Mercurine. INNOCENT. *Viri vnius vis robora contra*

Vestra stetit? APATIR. *Stetit: & muros inuadere, flanmas*

Per medias, cœleste manu circum vndique iactas,
Nos alternatim frustra contendimus. INNOC. *Amens*
Nonne ego sum, vt famuler vobis imbellibus? ite
Hinc, animamque meam, quam spe præsumitis, vnquam
Ne sperate: mihi quia luditis, ite: retracto
Quæ pepigi. EPAGO. *Non est vinclum extricabile.* EPIR. *Pactum*
Vrget. MOLOCH. *Abire nequis.* OMNES. *Patientia.* INNOC. *Ad antra redite*
Vestra, sepulcrales laruæ, malesuadaque monstra.
APATIR. *Verberibus tundare priùs.* EPAG. *Tua liuida nostrâ*
Terga manu, miserande, priùs pulsata resultent.
INNOCEN. *O! me exossatis: misero succurrite: totus*
Dilaceror. MOLOCH. *Misero flagris succurrimus.* INNOC. *O! O!*
Ho! satis est. APATIR. *satis! ista tui sunt prima doloris*
Principia. EPAG. *Aeternæ sũt ista proœmia mortis.*
INNOC. *Me miserum! quantis cruciatibus exsternatum*
Oppressere! mihi vix respirare potestas.
Nec tamen illorum fœdus, nec vincula possum
Vllo exire modo, cûi quamue aperire quod actum est,
Ni famam turpare notis infamibus optem.
Hæc vbi Iustinæ tulero mirabitur, ira

Nec

Nec parcet: non parcat; eo: denuncio: munus
Demandatum obij. Verùm en spatiatur apertas
Ante fores, moto lymphati signa furoris
Ore gerens: flammæ species imitata colorem
Ex imo pulmone trahit spiracula: toruos,
Ardentesque oculorum orbes obliquat, & omnis
Affectus specimen capit: ingemit, æstuat, hæret,
Procurrit, capite annuit, abnuit, emiratur.
Quò tandem? quò verget onus? quò pondus abibit?
Proiectas irata minas vbi ponet? vbi se
Fluctus & vnda furens franget? præruptus invndat,
Vt video, fremor. Hîc aliquid magnum, efferum, acerbum,
Et crudele parat. Deus à me auerte furorem.

IVSTINA. *Si, misera ô Iustina, odio quem denique finem,*
Quemue modum statuas, petis; eia, imitator amorem
Immodicum: quis enim immodico modus adsit amori?
Absumptas vt in Ambrosium sine pectore vires
Non primùm vlta, feram, patiar, sinam: adusta, soluta,
Absumpta in cinerem orbis machina concidet antè
Quàm meus in pœnas cesset furor. Excute lentas
Tarda moras: mora feruentem nil promouet iram.
Ambrosium tandem Augusti ferus hauriat ensis.

INNO-

INNOCENT. *Nil artes, Augusta, meæ, nil carmina, nil frux,*
Nil herbæ, nihil Infernæ potuere phalanges
Ambrosium contra. IVST. *Hunc diuersus, opinor, inertûm*
Lucifer Vmbrarum Rector defensat. O bibo
Iam concepta : videbo meum num Lucifer ausum
Impediet. Quamuis omnem me vertere fundo
Italiam, & mortis discrimen oporteat ambos
Vno communique malo perferre, peribit.
Nil mortem moror : vna quies , & sola futurâ est,
Omnia si mecum video prostrata ruinâ.
INNOCEN. *Infreme, frende, tona, irarum iace fulmina: non est*
Hoc pensare cruces, inflictaque verbera tergo.
Sed, quid agas? etiam hoc stomacho patiente coquendum.

SCE.

SCENA DECIMA SEPTIMA.

IN quâ Iustina in Ambrosium acrior, filium suum Valentinianum, cum Mercurino ad nouas artes excitat.

VALENTINIANVS, IVSTINA, MERCVRINVS, GOTHI.

IVSTINA.

TAntane, tam patiēs, regnoq; tibiq; mihiq;
Dedecorum incrementa feres accedere, tantum
In cumulum, mi nate? vides vt Episcopus vnus
Imperij famam, vires & nomen invmbret:
Vt, quacumque potest, populum malè fascinet arte:
Vt deuota sui tutelam corporis arma
Et ciues, circum per singula compita raptet:
Vtque per Occiduos nostra hæc diademata fines
Formidata, quibus ceruix summittitur omnis,
Incuruumque genu, tantùm non respuat, immò
Proterat & quasi conculcet; segnisque, resesque
Subsidis, neque turpificas aspergininis huius
Probrosæ maculas, quæ tanti est copia sceptri,
Emaculas? nec diram animam trux eripis hosti?

MERCVR. *Ne Cæsar cunctare, tuis neque defice rebus:*

Nam-

Namque quid Insubres omnes, Liguresque? quid Vmbri?
Quid Calabri? quid Romani? quid cætera dicet
Italia, vnius si vi pugnace procacis
Presbyteri, Augustus fusus victusque feratur?
VALENTI. *Heu caput inuisum, atque meis contraria fatis*
Fata viri! num conductis occumbere telis?
Num prensus potuit prendi? num præpete curru
Raptari exsilio? magico num carmine tolli?
Num Phlegethontæi Manes flagrantia iussi
Illius in tectum iactare incendia, flammis
Offendére domum? Manes immotus, & ignes
Illæsus, Gothicasque manus, currumque, necemque
Intentatam abijt liber, composque suorum
Votorum, studij ad popularis culmina venit,
Inuenitque viam, quâ nostri insignia regni
Per vulgum cum ludibrio despecta iacerent.
MERCVR. *Ne iaceant despecta, caue depressiùs altos*
Demittas animos: tua te constanter in arma
Collige: namque malo superat medicamen. VALENT: *Vt illud*
Repperiam, cupidè partes conuertor in omnes,
Nec tamen inuenio. MERCVR. *Modus inconsultus ad vsque huc,*
Quo poterit Cæsar primas rescindere causas
Conuenientis in Imperium, Imperijque salutem

Concilij,

Concilij, venit in mentem. VALENT. *Fac protinus aures*
Influat ille meas: nam gestio scire. MERCVRI. *Viarum*
Imperet armato muniri milite fauces,
Ac templi patulos aditus, ne peruius vsus
Colloquiumque sit Ambrosio cum ciuibus; isque,
Cùm primùm præclusa sibi consortia vulgi
Et procerum (quorum feruente fauore superbit)
Sentiet, ingentes animos flatusque remittet.
IVSTINA. *Consilijs pare, quæ dat pulcherrima Præsul*
Mercurinus, & euades, nullo obijce, victor.
Si qua tamen surget contrà dissensio, neruis
Compedibusque, citra molem compressa quiescet.
Nil vegeti tibi cordis inest, mi nate, nihil vis,
Nil animi: primo trepidas in limine pugnæ.
Si mihi regna forent commissa, aliâ arte videres
Illa regi: gemeret vinctis custodia: pleni
Vicatim refluo spumarent sanguine riui.
VALENTI. *Ite Gothi: templorum aditus præcludite, neu quis*
Insinuet sese Ambrosij in consortia, vicos
Obsessos vigili statione insistite. IVSTI. *Tot te*
Aerumnas turbasque pati! te impunis vt vnus
Incessat! stimulet cunctos in te Ausonas vnus!
O! quem ego! sed motum præstat componere pectus.

SCENA

SCENA DECIMA OCTAVA.

IN quâ inuitatur Ambrosius à suis ad concionem pro populo habendam, remissiore paullò iam Arianorum in Orthodoxos impetu.

AMBROSIVS, CASTVS, PAVLINVS, LEONTIVS.

LEONT.

QVò magis indignata fremit cum Cæsare tota
Curia, terrorum positâ formidine vulgus
Omne, Senatorum cum fulmineo comitatu,
Nobilibusque, tuis pronas hortatibus aures
Pandere, nec sanctæ Triados desistere cultu;
Hoc magis, Antistes venerande, fidelibus ardent
Auribus, eloquij quæ dulcia flumina fundis,
Combibere, & fidei in certamine ponere vitam.
Ecce fores plenæque viæ, quà porrigit vrbem
In longum latumque sinus, plebisque, patrumque
Ingentem totis vomuerunt ædibus vndam,
Quæ templi, dum conuenias, penetralia stipat.

AMBROS. *Hîc nihil ars, nihil ingenium, nil profuit oris*
Humani, licet eloquio torrente, facultas:

Diuina

Diuinæ virtutis opus, quod fare, fatendum est.

CASTVS. *Credo equidem: nec enim medium cùm lucidus orbem*
Sol inuectus equis nubes difflantibus, haurit,
Tam liquet esse diem, quàm diuæ hæc munera dextræ
Esse liquet: quem namque stupor non alliget, inter
Tam varias tam multiplicis discriminis ansas;
Hinc, iactante graues offensi Cæsaris irâ
Carceris exiliýque minas, & certa bonorum
Naufragia, exitio sobolis, quam affliget egestas
Exhaustam patrijs nummis furialiter; illinc,
Barbarico rabidam passim exertante macharam
Hoste Gotho, innocuisque necem intendente; nihil vi,
Nil prece, nil precio, Suadæue leporibus, illos
(Præsul) amore tui depelli posse, nec hilum
Tam vario sibi proposito terrore malorum
Tantorum, tenuem fidei de legibus vnguem
Deflecti? PAVLINVS. *Demiror ego magis Arianos,*
Post tot ab æthereis iaculatos nubibus ignes,
Qui cæcâ poterant caligine soluere sensus;
Post patrata tot Italicis miracula terris,
Quæ valeant chalybæa etiam perrumpere corda;
Vsque adeò furuis errorum à nocte tenebris
Obduci, rigidis perstareque cordibus, horrens
Cautibus eduris vt Caucasus horreat horum
Præfractos animos. AMBROS. *Mirari desines Christus*
Ipse, suis qui lucifugum splendoribus orbem

 Venerat

Venerat illustrare, nihil cùm denique, morum
Integritate, salutiferâ virtute, scienti
Doctrinâ, gemino deserta per auia pastu,
Imperijsque animas gelidâ reuocantibus vrnâ,
Proficeret; primas mundi ingredientibus oras
Sese ait allapsum moribundo corpore septum
Cœlitùs in terras, vt qui tam cernit acutum
Quàm aut aquila, aut serpens Epidaurius, haud magis ille
Peruideat, quàm Cymmerijs qui mersa tenebris
Lumina fronte gerit: quid adhuc mirabile, quidue
Occupat attonitos artus, dum cincta profundo
Corda chao Ariana vides, quæ lumina cœli
Clara suis fuscis animis affulgere clamant?
LEONT. *Illorum, quod ais, leges & regula morum*
Torta notat. CAST. *Seclusa tamen se scire fatentur*
Quæ reliquos fugiunt, Scripturæ arcana. AMB. *Sequuntur*
Bubones, & noctiuidæ sunt alitis instar,
Cæcorumque duces. Ast irreuocabile tempus
Ecce fugit, dum turba manet me ciuica templo.
Maturemus, & Augustum Augustique sequaces
Thuricremas humili prece commendemus ad aras.

SCENA

SCENA DECIMA NONA.

In quâ GOTHI, (dum AMBROSIVS, LEONTIVS, FLORVS, MEGALOPHOEBVS, MICROPISTES, Orthodoxorum Chorus, in templo ſunt) hæc inter ſe loquuntur.

CHILIARCH.

NEquidquã intrepidæ vicos inſiſtimus vrbis:
Nil haſtas, nil ſtricta timent hîc ſpicula ciues:
Nos animo anteeũt, numeroque, & viribus: vmbrã
Carceris, & mortẽ haud trepidant. Statione relictâ,
Arma, viri, propiùs templum admoueamu , ad illud
Ne quiſquam greſſu aut oculis contendere tentet,
Nec dêinceps verbis coëat cum Præſule vulgus.

Dum propiùs templo ſeſe admouent milites, intus cantatur: cantu verò nonnihil interrupto, reſumit colloquiũ ſuis cum militibus Chiliarchus, vt ſeſe Ambroſio adiungant.

CHILIAR.

QVid patior? Deus hûcne ardorẽ sẽſibus addit,
O ſocij? Ambroſio placidum iungamus vt agmen,
Mens agitat mihi. GOTH. PRIMVS. *Vel magica ars effaſcinat aures*

Vlla meas in idem studium, vel, Bellice Ductor,
Quod tecum Deus intus agit, concepta repentè
Consilia in melius referens, spirantia dirum
Antè malum Ambrosio penitus mea viscera mutat
Ille idem, & versis dêinde in contraria telis
Ambrosium cum Christiadis, ac templa, fidemque
Dem defensa, monet. SECVNDVS GOTH. *Stimulo non dispare, compar*
Spiritus, Ambrosij vt sancto pro dogmate pugnem ;
Incitat. TERTIVS, QVARTVS, QVINTVS.
Haud impar fodicans nos calcar eodem
Impellit. TERTIVS. *Qui me feruor!* QVARTVS. *Quæ flamma!* QVINTVS. *Quis ardor*
Antè meas glacie rigidas coquit igne medullas!
CHILIAR. *Auditis quæ plebem habeat fiducia rerum,*
Dum mœrent, strictâque gemunt sub compede ciues
Inclusi tenebris? dum nos in templa, lupi ceu
Insani stimulante fame circum vndique fusi,
Vasticiem, lacrymas, & mortem afferre paramus?
Non dubium est quin obsidio nos cingere valuas
Rescierit, neque pressa tamen formidine quærit
Tuta fugæ loca: sed pertentans gaudia grandi
Lætitiâ, vndantes cantus ad sydera iactat.

SEXTVS GOTH.

Nostra nouo excantata micant præcordia plausu.

SEPTI-

SEPTIMVS. *Veni ego, vt aduersum raptarem in vincula ciuem;*
Nunc eo in amplexum mutatus, & oscula ciuis.

OCTAVVS. *Veni ego, vt Ambrosio, Ambrosijque sequacibus ensem*
Exigerem in latus; Ambrosium, Ambrosijque sequaces
Nunc, discors mihi, diuerso tutabor ab ense.

NONVS. *Veni, aditum vt templi obstruerem; iam libera templo*
Sit via, vi efficiam, meque ipse fidelibus addam.

DECIMVS. *Veni ego, funeream vt fluitante cruore machæram*
Imbuerem: iam horret moderata machæra cruorem.

VNDECIMVS. *Veni ego, balantûm vt lupus insidiatus ouili,*
Nunc positâ feritate gregi sociabor vt agnus.

DVODECIMVS. *Quæ vestras, quænam ista repens sententia mentes*
Dementat? quæ dira animos vecordia vexat?
Sunt hæc Augusto data sacramenta, fidesque?
Hæccine digna viris sunt defectoribus arma?

CHILIAR. *Furcifer biscis? abi, nobis nisi concinis: atque*
Ocyus Augusto refer immutata Gothorum
Pectora: iuratis tamen haud defecimus armis.
Cùm volet ad templum procedere, iũgereque agmen
Ambrosio; via tuta patet, Regemque sequemur:
Sin, volumus dextræ Ambrosij coniungere dextras.

Ambro. epist 14. ad marcel. sor tom. 5.

 SCENA

SCENA VIGESIMA PRIMA.

In quâ ijdem qui superiùs, abeunte Gotho duodecimo, templum, sese AMBROSIO coniuncturi, ingrediuntur.

CHILIARCH.

INgrediamur. MICROPISTES. *Oho! fugiamus.* MEGALOP. *O æmula pacis Tempora!* FLOR. *Miles habet templum.* CHILIAR. *Pauor omnis abesto:*

Nostra nec vllius sitiunt haurire cruorem,

Nec vim tela ferunt: oratum aduenimus. PRIMVS GOTH. *Heus tu*

Quò properas trepidare fugam tremebunde? reflecte

Cum gressu faciem: vanâ terreris ab vmbrâ:

Vos animis versis, versisque tuebimur armis.

Idem vbi supra: Ipsi milites se ad orationem venisse non ad prælium loquebantur.

FLOR.

Hosti nulla fides. LEONT. *Nostris socialia votis*

Vota Gothi conuersi addunt: absunto timores.

MICROP. *Conuersi! sine clade agnos lupus inter inerret?*

MEGAL.

Audeat immani sese sociare columba

 Miluio!

Miluio! CASTVS. *Adeste, videte lupos quos Christus in agnos*
Transtulit. MICROP. *Isti ne vos tantæ fidite sorti.*
FLOR. *Vellem diro tygribus ore hanc credere vitam?*
Nunquam fecero: vos quando libet, ite per hostem.
MEGAL. *O insueta Latinarum miracula rerum!*
AMBROS. *En vultu furibunda priùs, furibunda tumultu*
Gens, quæ exheredare suis aduenerat aris
Christum; eius (positâ feritate) repentè coheres
Euasit: socios teneo, quos iam antè verebar
Hostiles animos: tegor auxiliaribus armis
Quæ trepidè pauidum priùs impetiere. Saluto
Iessiadæ Vatis de Christo oracula: factus PSAL.
Est in pace locus eius. *Corda aspera, tela,* 75.
Et neruos moderante manu perfregit: amicæ
Ipse huius pacis causa est, autorque: videbat
Hinc ruere in templum armatos: singultibus illinc
Ilia pulsantem populum, turbasque minantem,
Si sacra templa forent cæco rapienda furore:
Inde procellosam Augusto Augustæque cohorti
Inferri vim: instare meæ discrimina vitæ:
Hæc inter ne tantum armis furijsque liceret,

Vbi supra: venerunt gentes, sed verè in hereditatem tuam venerũt. Qui enim gẽtes venerunt, facti sunt Christiani, &c.

Concordi medium paci sese obtulit, istac
Secum agitans: si armis concurrent arma sub aras,
Ecqua meo vtilitas in sanguine? Talia secum
Christus ait, mulsitque animos, & lenijt iras,
Coniunctim faciens vnum vtraque. Nec tibi grates
Christe feram? gratus gratas, dum vixero, grates
Quas potero, pacis tanto pro munere, soluam.

SCENA VIGESIMA PRIMA.

IN quâ PROBVS, CALLIGONVS, DALMATIVS inter se agunt, vt VALENTINIANVM afflictissimum consolentur, prodeatque ad Ecclesiam, cùm omnia sint pacata, eiusque voluntati faciendæ ciues omnes prompti.

PROB.

Omnia iam pacata foris, Auguste. DALM. *Patescunt*
Augusti desiderijs atque vsibus ambo
Templa, neque Ambrosius, neque plebs diuersa repugnat.
PROB. *Rectam, Auguste, necas à sollicitudinis æstu*
Indolem; abit nunc dissidium: nunc vulgus inerme
Vltro voluntati tuæ, & imperialibus armis
Supponit caput: & curâ tabescis inani!
Cura tui sit cordis edax! CALLIGO. *Iam sustulit omnes*

Oppositos

Oppositos obices miles Gothus: ipse potitus
Templorum, Augusto perferri hæc nuncia iußit.

VALENT. *Qui nostram rem casus agat, quo regia spretim*
Sceptra loco iaceant, didici, nouique, silete.
Si volet Ambrosius, capto mihi vincula collo
Intendetis, eique, truci me vt funere tollat,
Prodetis. CALLIGO. *Negat immodicus solatia mœror:*
Solus abit. Probe turbatum compone quieti.

Epist. Ambro. ad Marsoro. 14. Si vobis, inquit, iusserit Ambrosius, vinctum me tradetis.

SCENA VIGESIMA SECVNDA.

IN quâ abeunte Valentiniano ac Dalmatio, CALLIGONVS monet PROBVM, vt Imperatorem soletur: ipse interim ad Ambrosium pergit, quem in viâ offendens alloquitur pro Imperatore Valentiniano.

CALLIGON.

IBo, ibo: tanti incentorem turbinis, asper
Increpitabo: metu quatiam: plagasque, necemque
Intentabo, mihi nisi morigeretur, & vnam
Augusti reseratam ædem conseruet in vsus.
Opportunus adest. Quid, Episcope perfide, perstas
Obfirmatus, & Augusto irrequieta moleste
Regna creas, templumque negas reserare petenti?

Epist. Amb. vt supra.

AMBROS. *Augusto, quod ais, non irrequieta molestè*
Regna creo, templumue nego reserare petenti:
Namque patet; milesque Gothus cum ciuibus, illud
Occupat, & concors, Christo largitur honores.
Verùm sacrilego ne Cæsar adulteret vsu
Templa Dei, me dante, tenax arma omnia contra
Et mortem, perstabo: meas si forsan habendas
In tenues inhiabit opes, fundumque, domumque;
Non obstabo: volens proprio de iure lubensque
Discedam: possessa licet bona cuncta resignem
Pauperibus. Sed vt Augusti, me dante, profanam
Illa potestatem subeant; non siuero. CALLIG. *Quid! tu,*
Me viuente, Valentinianum aspreueris! istud
Auellam ceruice caput. AMBROS. *Quod Episcopus vrbis*
Debuerit perferre, feram: quæ verò Spadoni
Conuenient, facies. Potes hoc à corpore vitam
Tollere: vitam animâ seiungere non potes: auram
Et lumen vitale, quibus nunc spiro, tibi fas
Extinxisse; fidem & meritum extinxisse nefas est.
Tu mortem esse putas damnum morientis? CALLIG. *Inane*
Atque loquutuleum os reprimã, linguamque cauillis
Effrenem, punctim fodiam. AMBROS. *Si quando potestas*

Me viuo tu contemnis Valentinianum: caput tibi tollo &c. Epist. vt supra.

In me

In me erit exsignata tibi diuinitùs, aris
Affusum, hærentemve domi, neque tela timentem
Repperies. CALLIG. *Ego te sectum laniabo minutim.*

AMBROS. *Credideram irarum restincta incendia verso*
Milite, sed reliquas video superare fauillas,
Quæ motam afficiunt lambuntque ardoribus Aulam.
Qui tamen extinxit flammatam in milite bilem,
Idem Aulæ incensos restinguet & opprimet ignes.

SCENA VLTIMA.

IN quâ EVTHYMIVS eodem curru, quem ad rapiendum in exilium Ambrosium antè conduxerat, extorris abripitur, cuius miseretur AMBROSIVS, eique eleemosynam ad perferendum exsilium elargitur.

EVTHYMIVS, AMBROSIVS, CASTVS.

EVTHYM.

QVi rapitis miserum exsilio? quò deferor hospes?
Ergò deinde solum patrium, carosque parentes,
Deliciasque domus vltrà spectare vetabor?

Paulin. in vita Ambro. & Ambro. ipse de Basil. non tradenda. tom. 5.

AMBROS.

AMBROS. *Quos gemitus, certâ quas eminus aure querelas*
Audio? EVTHYM. *Sicne obitos pensas, Iustina, labores?*
AMBR. *Caste vide, quis tot luctus ad sydera tollat.*
EVTHY. *Euthymi, cui te exsilio fortuna reseruat!*
Hacne operis merces, tibi quam Iustina spopondit
Ante annum, cùm tu has bigas currumque volucrem
Instrueres, fraudem Ambrosio molitus, & vrbis
Exsilium, quod tute subis? CAST. *Qui tollit ad astra*
Non exauditas lacrymosâ voce querelas,
Est, venerate Deo Antistes, Euthymius ille
Aulicus, insonti tibi qui miserabilis olim
Texuit exsilium, insidiasque locauit. AMBROS. *In eius*
En caput insidiæ positæ, structumque recurrit
Exsilium: afflictumne queam lenire, videbo.
EVTHYM. *Nulla salus? nullum auxilium? nullumne leuamen*
Exsilij afflicto dabitur? AMBROS. *Quæ tanta repetè*
Tempestas, turboque mali, tibi gaudia mentis
Eripit, Euthymi? EVTHY. *Meritissima pœna nocentem*
Excipit, ô Præsul sanctissime: namque quod ante
Annum ego, Iustinæ furijs parere paratus,
His tibi conductis biiugis crudele struebam
Exsilium, ipsum illud subeo, deuectus eodem
Curru, eodéque die, quibus improbus ad tua perstans
Ostia, te immeritum exsilio raptare pararam.

AMB.

AMBR. *Euthymi, Deus exilij hæc compendia fecit,*
Ne quondam æterni misere dispendia ferres.
Prôinde labascentes animos, precor, erige, & aurum
Hoc cape, quo tolerare viæ fastidia possis.

ACTVS QVINTVS.

SCENA PRIMA.

NE fanatica mulier Iustina in omni Italiâ, non autem Mediolani tantùm, Arianam hæresim propagaret, quod meditabatur; interuenit Deus, terribilis in consilijs super filios hominum, & terribilis super Reges terræ; dum aduersus Valentinianum Aug. Maximum tyrannum excitat.

VALENTINIANVS, IVSTINA, PROBVS, CALLIGONVS, Nuncius occisi Gratiani, in palatio: in alterâ verò parte Theatri, MAXIMVS, & ANDRAGATIVS, de obsidione Mediolanensium, specie defendendi Ambrosij, deliberant.

VALENT.

N*Vncia inexpectata.* MAXIMVS. *Valentinianus abibit*
Imperio. IVSTI. *Quid ais?* MAX. *Gratianus vt occubet umbris*

Non

Non satis est. VALENT. *Istoc scelus Andragati-*
us! MAX. *Vllum*
Consortem imperij non fert admittere. IVSTI.
Prædo
Maxime, sic in sceptra ruis! ANDRAG. *fac: suadeo: nulla*
Namque ferunt sibi regna pares. VALENT. *O*
Barbare! MAX. *Sanctum*
Prætexam pietatis opus. IVSTI. *Miseranda cruci crux*
Accedit. ANDRAG. *Quo consilio?* MAX. *Simu-*
labo tueri
Velle manu Ambrosiũ, quem Iustina improba vexat.
IVSTI. *Non audit dolor immodicus solatia.*
MAX. *Et ipsum*
Obsidione premam Augustum, vallisque tenebo.
IVSTI. *Qui me ærumnarum intolerando pondere montes*
Prosternunt! Hinc Ambrosius premit; inde Tyran-
nus
Prægrauat: ô tristi duo noxia nomina cordi!
MAXI. *Huc citò cũ tabulis Librarius aduolet: euge,*
Quæ-tibi-cumque legam, deducto pollice raptim
Scribe. VALENT. *Iterum fraterna breui mihi fa-*
ta recense.
NVNCIVS. *Maximus infidâ Britonum de gente, peracti*
Ex animo belli rebus, partisque trophæis,
Ausus in Ausonias violento inuadere terras
Milite

Rufi. l. 2. Hist. c. 16. Sozom. l. 7. c. 14. Theodor. l. 5. c. 14.

Socrat. l. 5. c. 11. Sozomenus l. 7. c. 1.

Milite, præsumpsit regnum: Andragatius illi
Iunctus, inhumanis qui tum comes ibat in armis
Bellantûm agmen agens, vt erat prædiues ab arte
Perfidiæ infandique doli, exitialia fratri
Tela tuo immanis letumque paciscitur: exit
Lugdunum rhedâ inuectus, quam (vt fraudis abesset
Suspicio) mulæ biiuges temone trahebant
Regificâ instructam pompâ: mora nulla, referri
Imperat Augusto (qui bello Alemanna domabat
Corpora) Lugdunum vxorem aduenisse, monetque
Obuia magnifico luxu ferat oscula, festosque
Amplexus dare deproperet: locat interim opacâ
Furtiuos in valle dolos: Gratîanus inermis,
Hoste latente vacare locos ratus, aduolat impos
Ferre moras: (tanto iuuenis flagrabat amore
Coniugis) ad rhedam infelix approximat: ardens
Funere de curru Andragatius exsilit, incautum
Excipit in latus, & quà fata celerrima, corde
Effosso, ferrum ferus in pulmone recondit.
Illa fuit leti series, & tristis imago.

MAXI. *Vade leui pede, ferque Valentiniano, & iniquum*

Baro. to. 4. Anno Christi 383. Gratiani 16. Valentiniani Iunioris. 8

Ita Socrates & alij, licet aliam afferat causam mortis Ambros. orati. in obit Valent.

Iratumque

Iratumque ſuo me odio, ac certamine contra
Ambroſium innocuum denuncia: & addito, omittat
Actutum turbare virum; vel ego illius vrbem
Obſidione premam, ferroque ignique dicabo.
IVST. *Barbaricum, crudele, ferum, furiale, cruenti,*
Duri, importuni, gladiatoris, nebulonis,
Sicarî, parricidæ ſcelus! hoccine factum
Humanum eſt! inſonti ſanguine tingere dextram!
Hæccine tanti gratia facti eſt! nempe miniſtrum
Lege latronis ſtringere ferrum in pectus herile!
Quo iam Curia fidat in hoſpite? cùm nec amicus
Fidus amico eſt, nec proprio hoſpes ab hoſpite tutus.
CALLIG. *Immodico, Probe, ſoluantur mœrentia luctu*
Pectora, ne grauiora adeant diſcrimina regni
Res Itali, quarum exitio trux incubat hoſtis.
PROB. *Abſorberi, Auguſte, caue tot luctibus, æger*
Ne regere Imperium nequeas, Italaſque tueri
Relliquias, ditione ſuâ quas Frater habebat,
Nunc ſibi poſſeſſas patrio quaſi iure Tyrannus
Arrogat. Ad tantos, fateor, te plurima luctus
Cauſa mouet, mouet in primis pro ſanguine, fratris
Carus amor, mouet auxilium, ſolamen, & vſus
Quem poteras ab eo experto ſperare; iuuenta
Vix egreſſa mouet (nam tantùm quattuor annos
Biſque decem vitâ felice peregerat, omnia
Aſſimilis patri, moreſque, fidemque, timoremque,)

Inuida

Inuida coniugio viridi hæredique mouet mors,
Mors quæ improuisum sicâ violente momordit.
At meminisse tui debes, meminisse tuorum
Regnorum, sibi quæ sperat transcribere prædo,
Prædo cui tantum cæso de fratre, suoque
Imperio licuit. Tunc exsaturata cruore
Illius arma putas? alium insatiata requirent,
Dum semel intepuere: tuo, timeo, ebria nabunt:
Totque audes, tanto sub casu, ducere luctus?

IVSTINA. *Dic verò, quando eripuit de corpore vitam,*
Corpus vbi est? iacet esca feris, auibusque? NVNCIVS. *Suone*
Exanimum tumuli decorat it honore cadauer,
Nescio: nam simul ac mortis mihi nuncius aures
Perculit, huc pede continuus veloce cucurri.

IVSTI. *Quæ feritas, prædo, ista tua insuperabilis! vt non*
Corpus humo patiare tegi! quæ barbara gessit
Patria cum victis certamen & æthere cassis?

PROB. *Sat lacrymis gemituque datum est, Augusta: Tyrannus*
Dum furit insidijs felix, tumidusque secundâ
Sorte ruit, nunquidne tuæ vel funera proli
Intentanda, vel insidias in sceptra, domumque
Formidare potes? si fortè reducat apertos
In campos acies, nosque obsidione coronet;
Quis valido inualidum componere robore robur
Audeat? accisum Imperium est: plebs Itala, magnâ

N *Ex parte*

Ex parte, Ambrosij propensa fauoribus, irâ in
Augustum scintillat: abest Theodosius: ecquis
Tantam adeò belli nubem, quam sentio cogi,
Distineat? IVST. *Nudâ nudusne iacebit arenâ*
Alitibus data præda feris Gratianus? PROB. *Vt illud*
Auertant Superi, Legatum emitte Tyranno,
Qui repetat, corpusque roget succedere terræ.
IVSTI. *Quis Legatus erit?* PROB. *Quo non facundior alter,*
Nec meliore animo, Ambrosius. IVSTI. *Mihine hostis in hostem*
Vsus erit? malim nati cum corpore corpus
Antè meum iaceat campis, sine honore sepulcri,
Esca feris, quàm hostem supplex obtester. PROB. *Acerbas*
Intermitte iras tantùm, atque vltricia tela,
Et fidei pugnam suspende parumper: adibo
Ipse virum; capietque lubens, me consule, munus
Legati: interea prolem solare, molesto
Abstineat gemitu, seque ad sua colligat arma.
IVST. *Consilium non sperno: odium & certamina ponam.*
Haud equidem vincor, dum tēpore tempora prudens
Tempero: multa iuuat præsens in tempus omitti.
Acrior, intermissa parum, prorumpet in auras
Flamma odij, quis enim tantos extinxerit ignes?
Me viuam nulla Ambrosio concordia iunget.

Omnis persecutio in Christianos excitata conquiescit, & posthabitis consulibus ac cæteris magistratibus, vnius Ambrosij legationis ad Maximum officiū à Valentino & & Iustinâ requiritur. Paulin. & Baro. in vita Ambro.

SCENA

SCENA SECVNDA.

LIteræ Maximi ad Valentinianum, vt intermittat Ambrosium exagitare; sin, bellum expectet, deferuntur, quas ille matri communicat, stupentibus Aulicis.

VALENTINIANVS, CALLIGONVS, DALMATIVS, PROBVS, Maximi NVNCIVS.

NVNCIVS.

DIcite, meque docete: Valentinianus in Aulâ est?

CALLIG. *Quæ tibi causa viæ? quò tendis? & vnde?* NVNC. *Tabellas*

Defero ad Augustum quas mittit Maximus orbis

Occidui Princeps. CALLIG. *Princeps! quo iure? quis illi*

Sceptra dedit? quis ei trabeam atque insignia Regni

Cætera, pro meritis virtutum, contulit? NVNC. *Istæc*

Nescio, sed passim castris ea fama vagatur.

CALLIG. *Tam ficti prauique tenax, quàm nuncia veri est*

Fama: quid hac fretus tanto seruire Tyranno

De alijs præter has, scriptis ad Valentinianum literis, quibus ei comminabatur bellum Maximus, vide Theodor. lib. 5. histo. c. 14.

Ausus es? infami suspendia lurida trunco
Non trepidas? NVNC. *Quorsum trepidem? vin' perfidus olim*
Sacra meo data iura duci, dum ascriberer armis,
Defector violem? Nec ero discriminis exsors
Legatus belli de iure? CALLIG. *Tyrannide cunctas*
Bellorum leges violauit Maximus; vllis
Astrictosque velis nos belli legibus? I, fer
Augusto quæcumque dedit portanda Tyrannus
Nuncia. NVNC. *Formido ne morte pericliter: ô, si*
Hæc infesta virûm corda euasisse licebit,
Non ego me imprudens in tanta pericula posthac
Iniiciam: verùm ecce Valentinianus: ad illum
Progrediar. CALLIG. *Metuo denunciet arma Tyranni,*
Obsidiumque vrbis. NVNC. *Iussas, Auguste, tabellas,*
Quas, vt in Ambrosium mentemque animumque benignum
Accipias, Princeps misit tibi Maximus; ore
Blandus, inoffensoque mihi, precor, excipe vultu.
CALLIG. *Nictat: inoptatum fortassis epistola portat*
Nuncium. DALMAT. *Acerbato frons est subnubila nictu,*
Miror, ei quid res allata renunciet. CALLIG. *Exlex*

Quid

Quid prædo, nisi terrores, prædasque, facesque,
Telaque sanguineis riuis tingenda, necesque,
Ac desolatas Italûm bacchata per vrbes
Excidia, intendit? VALENT. *Pede concitus ibis herilem*
Ad vultum, referesque meis de rebus habere
Consilium me velle. NVNC. *Redibo celerrimus.* CALLI. *Exit*
Nuncius; & Cæsar turbatus fronte, nimisque
Anxius, Augustæ tabulas communicat. NVNC. *Ora*
Defugi trepidata: bene est. Ceu mobile vento
Irascente tremit folium, pauitante tremebam
Et corde, & genibus: sed, adhuc tremo: st: mihi ad aures
Visus adesse pedum strepitus: ne prendar, abibo.

SCENA TERTIA.

ANDRAGATHIVS, MAXIMVS, in alterâ parte theatri consultant de bello inferendo Valentiniano. Mediolani verò VALENTINIANVS cum IVSTINA, & PROBO, de fugâ in Thessalonicam, & monendo Theodosio vt succurrat, consilium ineunt, præsentibus CALLIGONO, & DALMATIO.

ANDRAG.

Me sine prima manu tentare pericula belli.
MAXI. *Te ductore ruat miles.* ANDRAG. *Sic bellica solers*
Et cautus vigilante manu moderabor, vt istuc
Affore me cernas reducem victricibus armis.
VALENT. *Huc Probus Ambrosij reuocetur ab ædibus.* CALLI. *Ecce*
Regreditur. VALENT. *Veniat.* CALLI. *Te vult Augustus.* PROB. *Adibo.*
MAXI. *Agmina sunt armata probè?* ANDRA. *Sunt ærea prorsum*
Agmina, sunt multis exploratißima bellis
Pectora; sunt iaculis, sunt instructißima telis
Robora, quæque ardenter auent certamina turmæ.
Iamque adeò præmisi equitũ leuia improbus arma,
Vt

Vt quatiant campos, dum turba triaria sensim,
Et cataphracta simul, me Principe, in ordine longo
Procedãt. PROB. *fugias hortor, dum tuta viarum est*
Copia, in Illyriam: excipiet te deinde secundo
Thessalonica sinu. Antè, tui rerumque tuarum
Certior, Eoo imperitans Theodosius orbi,
Si foret, auxilio vt nostris socia agmina iungat,
Profuerit. IVST. *Consulta valẽt; mi nate, sequamur.*
MAXI. *Concino: regna manent nos Itala.* ANDRAG. *Nulla valebit*
Vis contra obsidium. MAX. *Nocuit differre paratis.*
ANDRA. *Antè tamen ne subsidio Theodosius illi*
Adueniat; validis præclusero viribus Alpes.

Intelligant hinc Principes quãto periculo lacessãt Ecclesias & Sacerdotes. Iustâ fuerat sententiâ diuinâ definitum, eos qui de pellendis ab Ecclesijs Catholicis sacerdotibus promulgassent edictum, à suo ipsorũ fore depellendos imperio, & paternâ hereditate priuandos.

SCENA QVARTA.

AMBROSIVS, legatus futurus pro repetendo corpore Gratiani, ad Maximũ, LEONTIVM, & Orthodoxos Mediolanenses exemplo vicinarum ciuitatum quæ afflictissimæ ac desolatæ ob aduentũ Maximi in Italiã, fuerãt, fugã ex vrbe, metu obsidionis meditãtes, vt remaneant, peccatũque fugiãt, hortatur.

AMBROS.

Quò trepido celeres pede declinatis? LEONT. *Abimus,*
Præcipitique fugâ venturo elabimur hosti.
Vrbis enim obsidium & mortẽ trepidamus. AMB. *Inanis*

Obstupeo: antiquæ offensæ, veterumque malorum
Immemor Ambrosius, Gratiani vt humãda reposcat
Ossa, penes quæ se retinet sine honore sepulcri
Maximus, in prædam alitibus fortasse, ferisque
Proÿcienda, fero trucior nisi iecerit antè,
Quod metuo; en fidens Aquileiam incedit ad vrbem.
Nec stupeam Augusti causâ tot adire labores
Ambrosium, tantis quem trux Iustina lacessit
Exagitatque odÿs, vrgetque sequacibus armis
Incassum! nam, Diua pias quia Numina mentes
Respiciunt, illi cælestem ego spero fauorem
Affore, sumpturumque graues à Cæsare pœnas.
Hinc idem ille, suo fratri qui regna Tyrannus
Et vitam eripuit, nostræ nunc imminet vrbi
(Audio) vt Imperÿ reliquum prædo arroget, vltorque
Ambrosÿ, sceptrum Augusto cum sanguine tollat.
Sed fugiet, reor, & culpam metanœa sequetur.

SCENA QVINTA.

ANDRAGATHIVS relictis Alpibus, quas insidebat, constituit obuiare Theodosio nauali pugnâ.

ANDRAGATHIVS.

SI (veluti mihi fama fidem, misique reportant
Exploratores) nostris Theodosius armis Zosim. l. 4.
Obniti pelago properat, frustra improbus Alpes

 Occludo:

Ardenterque premit: non impetrat: ilicet, ortâ
Seditione, ducem belli, patresque Senatus
Immani (nullo discrimine) cæde trucidat:
Certior admissæ cladis Theodosius, vrbem,
Dissimulans iram, specie Circensium, in vnum
Consessum caueæ cogit, septenaque cædi
Millia consilio infando designat. AMBR. *O atrox*
Decretum! quanta est Satrapis audacia vulgus
In socium, velut in pecudem distringere ferrum
Funebre! Nunquam hodie templi penetrale subibit:
Quid templi penetrale? parum est: nec limen: & illud
Pauxillum est: & Christiadûm commercia planè
Illi interdicam, ac meritis, precibusque Beatorum
Omnium, ab æterno cruciandum immaniter igne,
Priuabo, donec lacrymarum flumine viuo
Abluerit maculas animæ, commissaque plebis
Funera publicitùs planctu comitante piarit:
Nil Regum imperio moueor: nil terreor ense:
Sed me sacra vocant, populusque recurrit ad aras.
Antè virum tamen, horrendo pro funere crimen
Eluat, emissis ad eum suadebo tabellis.

Theodor. l. 5. c. 17 & Paulin. in vita s. Ambro.

SCENA

SCENA SEPTIMA.

NVncio in proſcenio nonnihil manente, abeunteque Ambroſio ad tẽplum, Nuncius alius LEPTOCECLES nomine ſuperuenit, de profligato à Theodoſio Maximi exercitu, ipſoque Maximo cæſo, & mortuâ Iuſtinâ. Cum choro puerorum & puellarum.

NVNC. THESS.

POntificem in ſanctas Theodoſius aſperat iras,
Iras quas ipſus, vereor ne perferat autor
Funeris. Audebitne tamen ſe opponere contra
Terrorem belli ac terræ Theodoſium? inultum,
Si facit, haud feret, ac ſibi fata parabit & ignes.
Eſto: paret: fata Ambroſius nil horret & ignes.
Quid verò lætâ facie, pede concitus, ore
Exſudante, quaſi multo ſibi longiùs vrbe hac
Inſtet iter, pueris circùm innuptiſque puellis,
Floribus inſertis capiti, & ſalientibus, affert
Nuncius iſte? quibuſue repens aduentat ab oris?
Scitabor cur tanta foras exuberet altè
Lætitiæ ſeges in vultum, frontemque ſerenet,
Quóue citet properis adeò veſtigia plantis.
Ecquæ ſinus hilaræ mentis tibi cauſa, Viator,

Lætiſ-

Lætificat, festiua genas vt gaudia tingant
Sole nouo? quæ tam celeri petis oppida passu?

NVNCIVS LEPTO. *Læta per Insubres vulgaui nuncia terras:*
Iam superest ea Romuleas deferre per arces.
Hinc celero; quòd eas via plurima diuidat oras.

NVNCIVS THESSA. *Lætitiæ mihi consorti, precor, annue partem.*

LEPTO. *Annuo: tu fidus quæ narro, benignior audi.*
Nuper inaccessas Dux Andragathius Alpes,
Furta parans belli conuexo in tramite, denso
Agmine bellantûm cùm iam insedisset, vt hausit
Auribus, ad Gallos allabi classibus æquor
Eoum, vertique ducem Theodosium in armis;
Insessos, mora nulla, locos quasi prouidus exit,
Naualique parat venienti occurrere pugnâ:
Interea sensim terris Theodosius arma
Promouet, ac positis Aquileiæ ad mœnia castris
Improuisus inoffensâ belli arte coronâ,
Obsidioque graui cingit nil tale timentem
Maximum, eumque sibi pacis pro legibus optat
Ante oculos interque manus, nullo obijce, prodi:
Sin, totam subitò flammâ bacchante minatur
Aequaturum vrbem terræ, excidioque daturum.
Extemplò turbati animi, concussaque vulgi
Pectora, ne tantæ subeant discrimina cladis,
Vnum pro cunctis dandum caput æquiùs, 7 nam

Sozim. l. 4. Socrat. l. 5. Paul. Diaco. & alij.

Obiectan-

Obiectandam animam clamāt: mox agmine facto,
Conspirante suo cum milite, in ipsa Tyranni
Tecta ruunt, rapiuntque virum, produntque petenti:
Protinus illum animâ vindex Theodosius orbat.

NVNCIVS THESS.

Non solùm Insubres populos hæc vnica tangit
Lætitiæ insuetæ ratio, sed & Ausonas omnes.

LEPTO. NVNCI. AQVILEIENSIS.

Communem patriæ pacem, quæ iam aure bibisti
Nuncia, non modicè, vt docet illætabile bellum,
Et solerter ais, tangunt: verùm altera totam
Ore meo nunc Melanam vulgata per vrbem,
Ambrosij & fidei irrequieta negotia spectant,
Ac solidam Insubrûm spondent per templa quietem.

NVNC. THESS.

Prurit ad hæc etiam intendi mea pronior auris.
LEPTO. *Pruritum breuibus velox excussero verbis:*
Aurem aperi: obsidium fugiens Iustina tyranni
Maximi, & instructas illius ad arma phalangas,
Thessalonicæ obijt mortem. NVNC. THESS. *Quàm fausta fideli*
Nuncia pro populo! sed enim sunt certa? LEPT. *Renarro*
Indubitata. NVNC. THESS. *Dei venerabile Numen adoro*
Hac in morte, fugaque: pio quæ funera namque
Pontifici, exiliumque olim per pacta dolosque,
Fas omne abrumpens, intendit, ea ipsa subiuit.

Paulinus in vita Ambrosij.

Magne

Magne Deus, quanta es, te ritè colentibus, arctis
In rebus tutela, ſalus, ſpes, anchora, turris,
Præſidium, & ſtatio tuti placidiſsima portus!
Qui verò tumidos animos, faſtoſaque cælo
Corda, ſuperbificis cum flatibus, (ætherei ceu
Indomitique notho colles, iuga fumea (tollunt,
Eminus intuitu quando hos tua pupula ſtringit;
Protinus (vt montes vacuâ compage ſoluti,)
Cum fremitu titubant, lapſique repentè ruinam
Præcipitem dant emoto fundamine. LEPTO. *Tota*
Hæc mihi lætitiæ ſeges eſt, cunctæque futura
Auſoniæ, ſimul ac mea verba reconderit aure.
PRIMVS PVER. *Palma triumphalis fidei iam parta.* SECVNDVS PVER *Coronet*
Tempora laurus: Io. TERTIVS PVER. *Nunc tota puertia lætum*
Clamet io. QVARTVS. *Ter io, pueri innuptæque puellæ*
Conclament. QVINTVS. *Celebri reſonet Melana triumpho.*
SEXTVS. *Cedat Apollineus pæan, Lytierſa Cybelles,*
Dianæ hypœpus, Bacchi thyriambus, & hymni
Ordinis huius inaniloquis à vatibus olim
Cantati, vacuas Italûm per futile carmen
Ne teneant linguas: alio nunc ore loquendum.
SEPTIMVS PVER. *Hymnidicas noſtris alias à vocibus odas*
Emanare, trophæorum noua nuncia poſcunt.

OCTAVVS

OCTAVVS PVER.

Et tacitum mutescat io: nam symbolon impar
Est, vt inundantem patrijs in cordibus æstum
Lætitiæ, (quam tanta, duplo pro nomine, causa
Mirificam dedit esse vrbi) satis exprimat. NONVS.
Anceps
Ancipitis motus animi quia symbolon io
Antè fuit, tam mærores, quàm gaudia signans;
Cesset io: festi subeant noua signa triumphi.

Cantus puellarum ob Maximi & Iustinæ mortem succedat Anacreontico versu.

PRIMA.

PVeri sonate lætis
Numeris diem triumphi,
Sacra quem fides celebrat
Geminis soluta curis.
SECVNDA. *Trepidabat hinc Tyrannum*
Populo suo eminantem
Lacrymosa damna belli.
TERTIA. *Metuebat inde furuas*
Stygiæ hæresis tenebras,
Muliebribusque technis
Furiale combibendum
Subitam in sui ruinam,
Quod ab arte Mercurinus
Vitiauerit, venenum.
QVARTA. *Nunc expedita vanis*

Tremula

Tremulæ vrbis in colonos
Minationis atros
Frustra intonabat imbres;
Muliebribusque technis,
Et spiritu impotente
Tandem explicata, festum
In vrbe compitatim
Ouans agit triumphum.
Pueri sonate plectris
Hilaris diem triumphi.

SCENA OCTAVA.

THEODOSIVS, partâ de Maximo tyranno victoriâ, Mediolanum ingressus, templum, Deo gratias relaturus, inire parat, impeditur ab AMBROSIO, & omnibus Aulicis obstupefactis excommuicatus regreditur humillimè.

THEODOS.

PRocubuit tandem emoriens, terramque momordit
Impius in Superos latro, parricida, tyrannus
Maximus; in soliumque Valentinianus auitum,
Armorum Domino mihi subueniente, repostus
Est. Dum verò animo perago, tacitusque retracto

August. de ciuit. Dei l. 5. c. 26.

Cur tot in Insubres incendia bellica terras,
Pergrassata ierint, caput horum & causa malorum
Prima, statim subit in mentem: cùm namque lacessit
Ambrosij pietatem armis, fideique paternæ
Degener Hæreticâ imprudens se tabe venenat,
Funestatque Valentinianus; iniqua, Gigantum
Aemulus, ipse sibi exitio pestique futurus,
In cælum explicuit vexilla, Deumque potentem
(In quem vnum penitùs decet inclinata recumbat
Ex se enerua salus, fiducia, spesque virorum
Principum) Auernali cæca ad certamina bello
Tentat. In Ambrosium ergò iras odiumque remittat
(Si modò cum cælo pacem terrâque reposcet)
Consului: facietque, scio: namque vnica mater
Ariana, priùs multùm intercessit: at illa,
Morte obitâ, posthac nihil aduersabitur. Hinc iam
Victor ego, votique reus, sacraria templi
Ingrediar, gratesque Deo pro munere soluam;
Vt felix, pede ad Eoos felice reuertar.

AMB. Siste gradum: tibi nãque nefas insistere limen
Hoc, Auguste. THEODO. Inhibes, Præsul, mihi templa? AMB. Resiste
Vestibulum ante ipsum: neque enim te à cæde recenti
Pollutum fas est sacra templa subire, cruenti
Ni sceleris labem lacrymis aboleueris. An non,
Quando tuæ furor immanis deferbuit iræ,
Barbaricum, crudele, ferum, furiale, magistrâ
Agnoscis ratione scelus, quo, dirus, acerbo

Paul. in vita Ambrosij Ruffi l. 2. c. 18. Theodor. l. 5. c. 17.

Funere

Funere tot mixtim voluiſti innoxia mergi
Corpora? Forte tibi lumen rationis obumbrat
Imperialis honor, venerata potentia, palmæ
Bellicæ, adulantes cætus, atque integer æui
Sanguis: at, eſto memor vitæ breuis: eſto propinqui
Iudicij memor: eſto memor lacrymabilis ortus,
Nempe ab humo: memor eſto in humum te dêinde reuerti:
Eſto memor, cælos, terraſque Regentis. Inire
Templa petis? quibus illa oculis? quâ fronte tueri
Audebis? quibus auguſtas inſpexeris aras
Vultibus? ecquo illud pede? quâ, dic obſecro, ſanctum
Calce pauimentum inſiſtes? quæ vota, preceſque?
Quas, quali cum voce, manus ad ſidera tendes,
Cùm tepido madidentur adhuc à ſanguine? quonam
Ore? quibus Chriſti poteris ſub dentibus artus
Mandere? ſed, quibus, illius, quibus, oro, cruorem
Ducere faucibus audebis, cùm eruperit illis
Tanti funeris imperium crudele? Recede
Ergò, cauenſque ſcelus ſceleri ſuperaddere, diuo
Quæ tibi conſilio ſacra vincla, datura ſalutem,
Inijcio, patienter habe.

SCENA NONA.

Recedente, cum humili obedientiâ & silentio, vultu in humo deiecto, Theodosio, itemque Ambrosio in templum, superuenit extremâ theatri de parte OPEDVS Valentiniani ad Ambrosium pro Baptismo petendo nuncius.

OPEDVS.

Paulin. in vita Ambros.

QVàm fracta labascunt
Genua mihi defessa vijs : huc namque Viennâ
Iam primùm appello, nec quisquã ex ordine tanto est
Qui certâ me sponte manudeducat ad ædes
Ambrosij, quò me iubet ire Valentinianus,
Hasque odij pacem μὴ μνησικακεῖν δε rogantes
Tradere Pontifici tabulas. Iam dêinde per orbem
Insubrûm resides clypeos, figendaque spero
Arma tholis, stabili tumulandaque bella sepulcro:
Quando venenatæ Hæreseos mala pocula quondam
Hausta propinante Ario, Aryque sequace
Iustinâ, ex animi penetralibus euomit, atque
Ad patriam aspirare fidem Baptismate gestit:
Huius enim desiderio, votoque subactus,
Ambrosium accirem, miro properauit amore.
Sed lentas malè necto moras: qui dirigat illuc

Fidus

Fidus iter, mihique Ambroſium commonſtret, habendus.

SCENA DECIMA.

RVFFINVS, à CLINISTE Cubiculario THEODOSII, de eius triſtitiá factus certior, eum conſolari nititur, ſpondetque ei ſe Ambroſium conuenturum pro eo ab excommunicatione abſoluendo, contra ſpem ipſius Theodoſij.

RVFFINVS, CLINISTES, THEODOSIVS.

RVFFIN.

LVgenti vereor mœrens Theodoſius ore
Continuò gemat, & mortem ſibi deuocet: ille
Namque, ſcio, foribus templi diſcluſus, & omni
Chriſticolûm cætu per vincla iniecta, nequibit
Membra leuare cibis, oculiſue aut pectore ſomnum
Accipere: inquiram ex famulo: iam namque cubili
Egreditur: ſi quæ triſti ſolatia poſſim
Ferre, feram. Seruat Theodoſius atria? CLINIST. *Seruat.*

RVFF. *Nullus adeſt, qui curarum faſtidia ſoluat?*

CLINI. *Nullus: & admitti prohibet consortia.*
RVFF. *Prandet?*
Cœnat? agit ludos? hilaratur? obambulat? CLINI. *Alta*
Mœrenti quæ corde trahit suspiria, cœnet,
Prandeat, incumbat ludis, hilaretur, agatque
Lætitias, prohibent. RVFF. *Vacat, indulgetue quieti?*
CLINI. *Insomnes ducit gemitu penè impote noctes.*
Immò soporanti si quando supercubat horâ
Strata, velut Dauid, lacrymantibus imbribus illa
Perluit. RVFFI. *Inuitat nemo? nemone soporem*
Prouocat? CLINIS. *Ipse ministerio imperioque paratos*
Conclaui emittit famulos, & longiùs arcet:
Nec dape, nec potu capitur, nec luce, nec vmbrâ.
Aspice squallentem luctu, lacrymisque madentem.
RVFF. *Cura meum flammans animum, & miseratio pectus*
Quæ penitum fodit, hîc alitur, crescitque videndo
Marcentem querulo planctu, fletuque fluentem
Augustum: namque exactis iam mensibus octo,
Nubila sublustris reparantur cornua lunæ,
Cùm sine lege dolens lacrymis effundit habenas,
Atque interruptis gemitu singultibus auras
Implet: ego tantos nequeo perferre dolores.
Ergò superueniens, quæ sit lacrymabilis ansa
Lamenti, scitabor: ei vt, si copia detur,

Sublatis

Sublatis remoris, medicer. THEODOS. *Furiale ferinâ*
Feci bile nefas: vt Thessalonicia passim
Flumina spumarent insonti sanguine, dirus
Autor ego. Quò lymphatas furor iraque mentes
Præcipitant! merui, fateor, quæ vincula Præsul
Iniecit miserandæ animæ, grauioraque: culpæ
Namque meæ excessere omnes quas voluit arenas
Oceanus, Deus! erraui: distædet: aceruos
Ne mihi pœnarum, noxis pro talibus, vltor
Iustus, in æternum serua: miserere: tuumque
Semper honoratum miserantis nomen habebo.
RVFFI. *Aggredior: (nec enim metas nec tempora ponit*
Mærori) Quæ causa graues, Auguste, dolores
Aggerat? THEODO. *Exsortes curæ, innubesque serenâ*
Fronte dies ducis ludo, Ruffine; meorum
Nec te vllus cruciatus habet, sensusque dolorum.
Multa mihi verò luctus est causa, grauantis
Aerumnæ stimulos acres dum sentio casus
Insueti, qui me funesto perculit ictu.
Non fractus, profligatus, pessumdatus angar,
Dum caliganti lacrymis ego lumine templa
Haurio mendicis miserisque patentia seruis,
Non solùm interclusa mihi, verùm instar abortus,
Pestiferæque luis longè me à limine templi
Arceri, cælique vias atque ostia claudi?
Quippe Sacerdoti memini prædicere Christum;

Theodor. l. 5. c 17. & Paulin. in vitâ S. Ambro.

Omne hominum genus in terris, cui debita culpæ
Vincla dabis, erit & cæli super ardua vinctum.
RVFF. *At, Tua Maiestas mea si consulta probabit,*
Ibo, viasque omnes tentabo, vt cuncta sacerdos
Debita culparum, nodataque vincula soluat.
THEODO. *Incassum: namque ille tenax verba omnia contra,*
Obfractusque, nihil tibi morigerabitur: eius
Constantem pernoui animum: nunquam ille timorem
Imperijque decus Diuo præponet Honori.
RVFFI. *Diuus ab Augusto (nihil hîc miracula tango)*
Pendet Honos: sint Ambrosio cælestia curæ,
Cæsareosque pudens violare timebit honores.
Si volet Augustus fidei se opponere; (certum est)
Nullus in aduersum poterit contendere. Cæsar
Ergò, mihi, ne vester honos infractaue cedat
Fama loco, dabis hanc veniam: fas ista viro sit
CompendI consulta loqui: nihil ambigo, nostris
Congruus extemplò votis quin concinet. THEOD. *Ito:*
Quando lubet: nihil impedio: tentasse iuuabit,
Nequidquam tamen, vt video, frustraque laborem
Ingratum trahis: ille tuo nil cesserit ori.
RVFF. *Mecum erit iste labor: praeuntem, Auguste, sequare.*
Nec dubito, experiere: aut hîc facundia dêerit,

Aut

Aut erit agrestis morum: facundia nunquam
Dêesse potest tantis Augusti in rebus: ab illo
Omine ergò officij vitium (quodcumque futurum est)
Deriuabit. Inhumanus, bardusque adeò sit
Ambrosius, nihil Augusto concedat? in illum
Non cadet hoc vitij. At venit obuius opportunè.

SCENA VNDECIMA.

RVFFINVS, THEODOSIVS, AMBROSIVS, SIMPLICIANVS.

RVFFI.

ANtistes venerate Deo: Theodosius æger
Tristitiâ, longo profligatusque dolore,
Huc me adigit: nec enim possum suspiria, luctum,
Mæstitiam, planctũ, & lacrymas perferre gementis,
Tantùm adeò stimulans penetrat mihi viscera sensus.
Causa mali tanti est (ait) irresolubile vinclum,
Cui tot, te damnante, dies obnoxius hæret.
Vt diuturno igitur squallentia pectora luctu
Soluat, ei, Antistes venerate, iniecta leuari
Vincla iube: Imperij moueat te purpura: flectat
Eius honos, flectat nomen terroribus implens
Gallum, Italum, Britonem, & quæ littora Nilus oberrat,

Quæ legit Euphrates, quæ lambit Eous Oron-
thes;
Flectat amor studiumque Dei, quo promouet aras,
Flectat acerbandum pectus, propensaque bili
Et stomacho natura: timor ne turbidus irâ
Et vindex, fidei obluctetur, & omnia turbet,
Te flectat: neque enim possis pugnare furenti.
AMBROS. Perfricto, Ruffine, canes cur æmulus
ore
Hîc imitaris? ei tu sæuo in funere consors
Es sceleris! nec adhuc facti te perpudet, esque
Non modò confidens, verùm importunus, & au-
dax,
Exhaustoque rubore: fero vos pectore, diro
Impete, inhumanâ rabie, infernate furore
Insani, amentesque, hominum tot millia, summi
Effigies formasque Dei, inuasistis, inausâ
Cæde Hyrcanæ Tygri, Getuloque Leoni:
Nec trepidatis adhuc! nec adhuc vestra ossa fra-
gore
Pulsa quatit diuini vltrix formido flagelli!
RVFFI. Et dolor, & lacrymæ, & sublimis anhelitus,
& quæ
Augusto interrupta sonant suspiria, clarè,
Commisso quàm pœniteat de crimine, monstrant.
Prôinde viro, Præsul, sua vincula solue, sacroque
Ne prohibe templo aduentantem. AMBRO. Ad-
uentat! ab aris,
Vestibuloque iterum venientem arcebo: caue sis,
Præmoneo:

Præmoneo: si trux sors tela tyrannica iusto
Imperio ante-feret, caussam hanc ego morte tuebor.
RVFF. *Nulla datur mihi præfractum exsuperare*
potestas:
Namque vt dura silex vocem intractabilis audit.
Ergò, Auguste, caue procedere longiùs: aris
Namque, ait, & foribus te longè arcebit. THEOD.
Adibo
Pontificem, meritoque meo quæ debita pœna est,
Excipiam, infamesque notas, modò vincula sol-
uat,
Annua natalisque Dei solennia, quando
Factus homo est, à me solito ducantur honore.
Nil ignominiam horrebo: in penetralia templi
Aut inferre pedes, aut primum insistere limen
Non statuo: nam vincla vetant iniecta: sed ante
Vestibulum perstans, humilem impertire salutem
Ambrosio, vinclisque meis exposcere pacem
Constitui. Antistes sacer, illætabile vinclum,
Cûi tua me diuo imperio concessa potestas
Impedÿt iam octo decursis mensibus, oro
Expedi. AMBROS. *Acerbatasne Dei non sufficit*
iras
Immani feritate tuâ? vis funebre culpis
Adiungi columen? cœlestia iura profanus
Proculcare tuis armis fidentior audes?
Iam demum es violans diuina oracla tyrannus.
THEOD. *Præsul honorate, offensum mihi reddere*
Numen

Paulin in vitâ Ambros.

Parce

Parce precor: nec enim venio vestigia templo
Illaturus; at, vt letalia vincula tolli
Deprecer; vt Christi miserantis facta sequutus,
Me, licet insonti madidatum sanguine, multisque
Adstrictum noxis, veniâ placidusque fauensque
Excipias, & vincla animæ cum crimine demas,
Nec patiare Dei vt miseratio maxima sonti
Cuilibet ad gemitum & lacrymas placabilis, vni
Indignata suas rigidas mihi sæuiter aures
Oppilet, claudatque fores, quas Christus apertas
Omnibus esse dedit scelus exitiale perosis,
Propensisque graues à sese exposcere pœnas.
AMBR. *Dic verò, tua post crudelia funera, & iræ*
Effrenis furiale malum, quæ flebilis à te
Supplicia hausisti? quæ, dic, medicamina læso
Applicuisti animo, ne tantâ efferbeat irâ?
THEOD. *Vir Diuine, tuæ est operæ medicare dolentem,*
Morbosumque: meum est, quamuis acerrima, quamvis
Ingenio genioque meo contraria, quamuis
Hostica naturæ, medicamina ferre: paratus
Curam oro, auxilioque viam, quæ proxima, posco:
Ense seca lato vulnus, pestisque latebram
Impuram penitùs rescinde: nihil moror, vt me
Dignatus veniâ meliorem in pristina reddas.
AMBROS. *Cùm stomachi præceps atque impote concitus irâ*
Iusseris in mussans distringi vltricia vulgus

Tela,

Tela, neque ad tantam dicta est sententia cladem
Compositâ ratione, animoque volente, sed acri
Vaecordique furore; volo, me consule, legem
Promulges, quâ vis stomachi, quâ calculus irae
Damnetur, nutusque tui Imperijque ministris
Iniungas capitis poenas, & publica deinceps
Iudicia, ut dilata ferant patienter ad usque
Vicenos denosque dies; & ab interuallo hoc
Exacto, simul ac se torua remiserit ira,
Iudicia expensa ad trutinam, rectè, ordine dentur.
Imperat, ira nisi paret: qui non regit iram,
Infectum volet esse, dolor quod suaserit & mens.
THEOD. *Annuo: ne verò veniens Legem abroget aeuum,*
Infringatue; statim ex scriptae inviolabile inuram
Chirographum: interpono fidem. AMBROS. *Tua vincula soluo,*
Teque Sacramentis ac sanctae Ecclesiae habendum
Restituo. Memori recoles hunc pectore casum,
Clementique Deo, cuius miseratio nostras
Lapsantûm, cùm fortè labant per lubrica, plantas
Excipit, & lapsas clementiùs erigit, aeuum
Quàm longum fuerit, grato gratabere sensu.
THEOD. *Hũc mihi nulla dies casũ toto eximet aeuo.*
At quia sola super Sanctae Communio Mensae,
Templa petam: sed quâ ratione, modoque? nocentem
Prosternam per humum faciem, crinesque reuellam,
Et veniam, pectus feriens cum fronte, reposcam.
Summe Deus, cuius terras miseratio complet,

Ruffin. l.2.c.8. Sozom. l.7.c.24. Theodor. l.5. c.15. Theodor. l.5. c.17.

Cerne pauimento hûic vt peccatoris adhæret
Lapsa anima: euge, tuo si qua est fiducia verbo, hanc
Viuifica. SIMPLICI. *O decus! ô speculum! ô exemplar! ô instar*
Nobilitatis! In hanc, genus ô mortale, remissi
Formam animi deflecte oculos: imitare cadentem
Surgentemque virum à culpis, tum gratia cælo
Multa pluet tibi. AMBRO. *Ad hæc, Cæsar, sacraria templi*
Quid cunctare? THEOD. *Sacra vt libem mysteria.* AMBR. *Soli*
Sancta Sacerdotes ineunt sacraria: Cæsar,
Ne graue sit retroferre gradum. THEOD. *Nil est graue: rebar*
Id licitum Augusto: quia Graia per oppida, more
Hoc agitur, Sed & hæc doctrina mihi adlubet. Ibo
Constantinopolim, referamque hæc gratus ad vrbem:
Vix tandem inter se quanto discrimine distent
Præsul & Augustus, didici, verique magistrum
Vix vnum reperi tantis è millibus: vnum
Vix ego Pontificem, mitrâque & nomine dignum
Inveni. Vt video, Ambrosiorum copia rara est.

De hac publicâ pœnitentiâ Ambrosius in concione de obitu Theod. tom. 5.

SCENA

SCENA DVODECIMA.

VALENTINIANVS, à Theodosio in imperium restitutus (extinctâ iam impiâ matre Iustinâ) illud sanctè pieq; administrauit, exemploque Theodosij eruditus, sanctum Dei Sacerdotem Ambrosium, quem instigante matre diu fuerat insectatus, facti pœnitens vt parentem coluit, & Viennæ miratus Ambrosium ad baptismum sibi conferendum tam tardè aduenire, cumque cunctatus, ARBOGASTIS superbos mores non ferens, ei palatium suum interdicit, dignitatemque & officium adimit, ob quam rem indignabundus ARBOGASTES, VALENTINIANO mortem meditatur.

VALENTINIANVS, ARBOGASTES.

VALENT.

Miror ego, quæ tanta adeò sit causa, vocatus
Curiter Ambrosius tardet, iussusq; venire
Differat: ecce mihi iam tertius exijt istuc
Nuncius, ad missas nec adhuc responsa tabellas
Vlla dedit: scelerum vitus tamen omne meorum,
Et vete-

Et veteres maculas animi, Baptiſmatis almo
Fonte laui, deſiderijs ſublimibus opto
Antè, meæ quàm cum vitæ diſcrimine lectas
Bellantûm producam acies, ruiturus in hoſtes,
Quorum armis ego frangendis violentibus illò
Deuocor: at nunquam tantas me inuadere certum eſt
Velle vias, niſi Baptiſmi ſim fonte renatus.
Sed, quid agas? abſens mea vota moratur, iterque
Ambroſius, nequeoque moræ cognoſcere cauſas.
An meus ad patulas eius deuenerit aures
Nuncius, an verò Auſonio me audiuerit orbi
Venturum auxilio, res eſt incerta. Sed, ecce
Huc Arbogaſtes veſtigia dirigit: ô! quàm
Alta ſupercilia, inuidioſa potentia, pectuſque
Elatum! licet abſtineam, nolenſque, volenſque,
Non queo non oculis obliqua tuentibus illum
Aſpicere, alloquioque meo interdicere, & vſu.
Immò hodie, quod in illum animus conceperat antè,
Conficiam: tantos, quibus in me inſurgit, honores,
Imperijque decus, quo ſe iactantior effert,
Illi adimam. Pede Calligone excurrente, ſuperbo
Has Arbogaſti tabulas & nuncia perfer.
Poſtea pertenuis memor atque ignobilis ortus,
Diſcat in Auguſtum tumido contendere velle
Conſilio, Auguſtique omnes perfringere niſus.

De dolo Arbogaſtis Socrat. l. 5. c. 24. Sozom. l. 7. c. 22. Hiero. Epiſt. 1. ad Heliod.

ARBOG. *Hoccine me obliquis oculis & lumine toruo*
Deſpicis! hoccine me belli de rebus agentem
Defugis! hoccine me forti dum pectore cæcas

Aspernor bellator opes & munera, vultus
Ante tuos perferre nequis: freme, ferbe, minare,
Consilia inconsulta tene, sursumque deorsumque
Omnia verte: nihil vanâ formidine frangor.
Tu mihi bellorũ imperiũ, & decora inclyta stingues!
Tu mihi quos peperi cumulo virtutis honores
Eripies! famam & nomen titulosque priores,
Quos mihi non dederis, tolles! ne feceris, ipsa
Conscia me mea subiecto cum milite virtus
Defensum dabit: armorum tibi fœdera posthac
Altera quære: tibi mecum nil dêinde fidelis
Pacis erit: furtiua tibi, tibi publica texam
Funera: sed quod erit mortis genus? anne venenum?
Lenior hæc leti species: ferumne? sed illud
Nobilius quàm sit meritus: laqueusne? meretur
Hac fati specie maculosam effundere vitam.
Nex decreta, necisque genus: nil denique restat
Quàm necis illator: quis erit? mihi dextera vindex
In laqueum calet, impellitque libido: sed illi
Si meritas manibus proprÿs elisero fauces,
Ob veteres odÿ flammas, quibus acriter in me
Ille diu feruens excanduit, vltor haberi
Per Latium potero, neque suspicione carebo.
Alter erit modus, & longè felicior. Illi
Quinquaginta intus famuli pro nutibus adstant,
Quorum qui reliquis fidentior emicat, vnus
Est meritis & amicitÿs, vsuque fidelis,
Deuinctusque mihi: facile hunc induxero largis
Muneribus: iamque en celer opportunus ab Aulâ

P *Exit*

Exit: an hæc audax inclinet in ausa, videbo.

SCENA DECIMA TERTIA.

ARBOGASTES EPIBVLVM Valentiniano à cubiculis tentat quo sit in Imperatorem animo, quem vbi ab eo alienatum persentiscit, ad ei inferendam mortem incitat.

ARBOGASTES.

HVc Epibule viam paullùm deflecte. EPIBV. *Paratus*
Deflecto, flectoq; viam, quacumque lubebit,
Morigerusque omni imperio nutuque tuo sto,
Arbogaste aditis Comes ô perlustris ab armis.
ARBO. *Agnosco, accipioque lubens quod strenuus offers*
Obsequium: sed enim mihi fare quis ordo per Aulam est?
Quid geritur? EPIB. *Tetricus morosa silentia seruat*
Augustus: quæ secum agitet, vel quid struat, omnis
Aut stupet attonitis animis, aut dicere mussat
Curia: vulgari tamen à sermone per aures
Diditur, ad terras Italas iam velle remensâ
In bellum remeare viâ, quo barbara frangat
Agmina, furtiuis Latium populantia prædis.
ARBO. *Omnis huic famæ concors est fama?* EPIB. *Priori*

Discrepat

Discrepat vna parum, discordeque dissonat ore:
Nempe viæ ne se Augustus commiserit, vnum
Obstare Ambrosium, quem pro Baptismate nuper
Acciuit. ARBO. *Sed vt hæc aliena negotia mittam,*
Teque tuamque fidem obtestor, quodcumque rogabo
Ne secretus habe; at mihi verum edissere: carum
Te namque ante alios, vt scis, præque omnibus vnum
Ipse domique forisque habeo. EPIB. *Tibi proinde, tuisque,*
Magnanime ô Comes, imperijs deuinctior adsto.
Hinc tibi cũcta equidem, fuerint quæcumq;, fatebor
Vera: roga. ARBO. *Quo, dic, animo, mentisque fauore*
Inclinaris in Augustum? EPIB. *Quorsum ista? fidelem*
Infidumve meo obsequio me subdolus ore
Explorare venis, vt si quod forsan iniquum
Offendes vitium, malè cautum denique prodas
In mortem? ARBOG. *Nihil, ô! nihil, ô Epibule, veretor:*
Per Superos tibi, perque fidem (quam fallere, nosti
Esse nefas) iuro: tuus est super omnia curæ
Et cordi mihi magnus honos, tua fama, salusque.
EPIB. *Ergò mihi sit fas, animi penetralia verbis*
Perspicuis aperire tibi, fas ferre sub auras
Omnia si qua tego: quis enim celauerit ignem?

Tu modò promißis maneas. ARBOG. *Næ fide: manebo.*

EPIB. *Augusti mihi vox, vultus, frons, lumina, mores,*
Actio, vita, domus, sceptrum, diadema per omnem
Sunt exosa modum: præ Augusto nil mihi in orbe
Nauseat: illius me perpiget esse ministrum.

ARBO. *Visne fidele ministerium diuertere? teque*
Seruitio, domuique meæ iam dedere? multâ
Conspicuus, toto famulari ex ordine, làude,
Primus amicitiâ, primus mihi nomine, primus
Diuitÿs & honore clues. EPIB. *Tibi meque meumque*
Dedo ministerium, Comes Illustrißime. ARBOG. *Primam*
Ergò operam, reliquarum omen mihi porrige, magnum
Ad facinus. EPIB. *Licet Augusto, Clarißime Princeps,*
Fata pares, animamque meam corpusque vouebo.

ARBOG. *Audebis miseras Augusto elidere fauces?*

EPIB. *Audebo.* ARBO. *Laqueum ergò para, noctisque per umbram*
Secretus toto proflantem pectore somnos
Strangula. EPIB. *Adibo: caue facinus ne vllius ad aures*
Prouolet. ARBO. *I, tacitumque scelus preßumque tenebo.*

SCENA

SCENA DECIMA QVARTA.

AMBROSIO Viennam ad Baptiſmum Valentiniano Imperatori conferendum eunti, Nuncius eiuſdem ſtrangulati venit obuius.

AMBROSIVS, THANATANGELVS.

AMBROS.

Tandem aliquando viam ingredior, quæ me vſque Viennam
Perferat, ingentes vbi ſollicitudinis æſtus
Ac deſiderium ſublime Valentinianus
Exercet, ſitiens Chriſto, cæloque renaſci,
Baptiſmoque laui: quodque admirabile dictu eſt,
Ipſe meum obſequium ad myſteria tanta repoſcit,
Cùm tot ibi ſint Pontifices, rerumque ſacrarum
Præfecti; ille meas iterumque, iterumque requirit
Baptiſmi pro fonte manus: quem, dirus, vt hoſtem
Irâ, odijs, armis inceſſit; habere parentem
Iam conuerſus auet; nec auet vulgariter, at me
Sic auet, vt prolata mei aduentus mora, ſit trux
Crux illi: quoties arſit! quotieſque vocauit
Me! quoties veritus ne priſca iniuria fortè
Tardaret, veniamque ſui pacemque furoris
Antiqui mæſto lacrymabilis ore petiuit!

Ambro. in obitu Valentiniani to. 5.

Venissemque diu, nisi me reuocasset inanis
Rumor, eum Italicis iam iam aduentare parantem
Iamque propinquantem terris: nam sæpe Senatus
Et proceres, vt eum Ausonijs de rebus adirem,
Continuis non desierant contendere votis,
Et dederam promissa viæ: sed nuncius vrbi
Adueniens, Aulamque iubens ædesque parari
Augusto, Augustique viris redeuntibus, ipsa
Insuper Insubres carris inuecta supellex
Regia, conuertit mentem, causamque morarum
Attulit. Iste autem atrato pullatus amictu,
Velatusq; caput, quorsum? vnde? quis aduenit? vnus
Augusti grege de famulo est: vllumne per Aulam
Grassatum fuerit funus! THAN. *Venerate Sacerdos!*
AMBROS. *Quò pullatus abis? quem te mihi Nuncius affers?*
THANAT. *Ha!* AMBR. *Quidnam est?* THANA. *Perij.* AMBR. *Cur tam miserabilis?* THAN. *Actum est.*
AMBR. *Quidnam actum est?* THANAT. *Penitus res Itala concidit.* AMBR. *Vnde?*
THAN. *Sãcta fides, ac templa Dei periere.* AMBRO. *Quis author?*
THANA. *He! clades illata.* AMBR. *Quibus?* THAN. *Dolor occupat, angit,*
Præfocatque mihi fauces. AMBRO. *Effare, quid hæres?*
Suspensumque tenes? THANAT. *Resonant plangoribus ædes*

Impe-

Imperij. AMBR. *Quæ causa noui plangoris?* THANAT. *Acerbum*
Funus heri illatum. AMBR. *Cui?* THAN. *Hero.* AMBR. *Illatumne tuo sit*
Funus Hero? THANA. *Illatum est*. AMBR. *Cui Hero?* THAN. *Augusto meo Hero, inquam.*

Anno Domin. CCCXCII.

AMBRO. *Augusto?* THANAT. *Augusto, inquam.* AMBR. *Res miserabilis! à quo?*
THANAT. *Arbogaste*. AMBR. *Arbogaste! hoc ipse ausus?* THANAT. *Is autor,*
Vt fama est, fuit. AMBR. *O humana insania? quanam*
Mortis eum specie ferus hausit? THANA. *Inhæreo voci*
Conceptæ, nec eam mærens ausim eloqui. AMBR. *Inaude*.
THANAT. *Hausit eum laqueo*. AMBR. *Laqueo? ô indigna viro mors!*
Illatæ que causa necis? THANAT. *Discordia*. AMB. *Qui fons?*
THAN. *Propter ei ablatum imperium, & ductoris honorem,*
Bellacisque decus pugnæ. AMBRO. *Quàm cæca hominum mens!*
Quàm dira ambitio! quàm infrena libido furoris
Vindicis! Vlteriùs verò producere gressus
Nil operæ est: posito ergò viæ mihi fine, redibo:
Ac ternas gemitu marcente leuabo sorores.

SCENA

SCENA DECIMA QVINTA.

GRATA, IVSTA, GALLA, Valentiniani occisi sorores, iniquam sui fratris cædem lugent, versu lacrymabili.

GALLA.

INfælix dolor! IVSTA. *Heu! quid primum conquerar! heu! quid*
Postremum lacrymis flebo anxia! acerba ne fata,
Ac turpem laqueum, qui eliso gutture vitam
Sopito tibi noctis in vmbrâ, sceptraque fregit,
O suauissime supra vitæ lumina frater!
An quæ Italis passim terris dispendia surgent?
An verò mala quæ mihi plurima dêinde gregatim
Incumbent capiti, crudo hoc te funere merso?
GRATA. *O mea vita Valentiniane! ô sola voluptas!*
O mea lux! ô ocelle animæ Germane! GALLA. *Mihi hæc nex*
Non sit magni causa doloris! nempe quòd antè
Quàm Baptismate, crimina origine tracta parentum
Laueris, almas reste nefando liqueris auras,
O incomprenso erute lytro de styge frater.
IVSTA. *Ergone, frater luce serenâ carior, atras*
Viseris

Viseris vmbras! ergò Inferni trusus in antrum es!
GRATA. *Quî voci immodico tandem laxata dolore*
Est via! GALLA. *Quî multis tandem singultibus ægra*
Eloquor! IVSTA. *Euge, vacent mærentia guttura tristes*
Ad gemitus. GRATA. *Altìs lugete vlulatibus Aulam*
Orbatam Imperio Italides. GALLA. *Ingente ruinâ*
Tres, nece Germani, afflictas stratasque sorores
Deflete Italides. IVSTA. *Plorate Valentinianum,*
Cuius Auernales anima indignata per ignes
Faucibus elisis exsors Baptismatis iuit.

SCENA DECIMA SEXTA.

Tres Valentiniani sorores afflictas, quòd earum frater Baptismo non lotus occisus sit, consolatur AMBROSIVS.

AMBRO.

NVmquid ego Augusti ternas discerno sorores
Luctificas incomposito marcere dolore?
Fortè etiam audierint fraternæ tristia mortis
Nuncia: quo sermone illas medicabor & arte?

Paulin. in vitâ Ambrosij.

 Heu!

Heu! vereor, dolor immodicus ne admittere nolit
Solamen: tanto tamen à mærore vacabunt,
Spero, vbi germanum illatum cælestibus oris
Audierint, licet exsortem Baptismatis: ille
Namque voluntate est Christo cæloque renatus.
Parcite, præstantes virtutibus Heroinæ,
Tanto adeò, iustâ sine lege, modoque, dolori
Indulgere: graues nequeunt à morte dolores
Germanum reuocare. GALLA. *Truci laqueone sit haustus*
Germanus, neque eum mæsto lugebimus ore!
AMBRO. *Quid lugere iuuat, quem lacryma nulla sepulcro*
Eliciat? IVSTA. *Nec eum à tumulo reuocare dolendo*
Speramus: sed enim sancti Baptismatis exsors
Quòd violento animam laqueo exspirauerit, ingens
Nos mæror gemitusque tenet. GALLA. *Nil funera, nil vis,*
Nil laqueus, nil Imperium, Imperijque corona
Germano derepta mouet. IVSTA. *Nos vna salutis*
Illius formido mouet. AMBRO. *Desistite vanâ*
Marcentes turbare animos formidine: cælis
Namque illatus habet totâ quod mente petiuit,
Et Gratiano hæret fratri comes additus, aulæ
Aethereæ consors: testor suspiria, testor
Mærores, testor lacrymas, luctusque, doloresque,
Et quos exciuit veteri pro crimine planctus,
Ac vehemens desiderium Baptismatis: vnde

Oran-

Orantem Deus audiuit, cœloque locauit.
Ecce, abeunt, animo indociles eradere luctus.
Ponè sequar, tumulumq; parent funusque monebo.

SCENA DECIMA SEPTIMA.

MORS ad Ambrosium commentationi Psalmorum incumbentem missura Morbum, se ipsa primùm describit, quod etiam facturus est Morbus.

MORS, MORBVS, AMBROSIVS.

MORS.

PRodeo Mors, Mors illa cui latè omnia, quà Sol
Vtrique Oceano surgensq; cadensq; recurrit,
Submittũt caput, & , nullo discrimine, parẽt.
Sum trux, cruda, rapax, non eluctabilis, æqua,
Implacata, leuis, tarda, illacrymabilis, audax,
Ad valuas cunctata senes, operata iuuentæ
Insidias: trepidate, cauete polituli, inanes
Virtutum, in Venerem, in risus, in torta comarum
Cornua præcipites, pronique iuuenculi: ego vos,
Carbaseâ quorum nebulâ, laxâque, striatâque,
Et rigidè & pressè in circlum circumdata ceruix
Stat, quibus & tanto fastosa superbia cordi est,
Vt vestro, quem barbaricus modus ornat, amictu
Splendidiore pudens ales Iunonia tractim
Tricolore suâ verrens vestigia caudâ
Tollere syrma leuem sparsim non ausit in auram:

Vos

Vos ego deformabo, genis prædabor honorem,
Corporis expilabo decus, violamque iuuentæ.
Decrispabo comas & cornua torta. Cauete,
In cute curandâ frugem consumere nati
Lurcones, quos perpetuis considere mensis
Impellit gula: vosque ignaui, operumque soluti,
Quique opibus malè congestis inhiatis auari,
Vos mensis ego, vos capsis diuello, cauete.
Qui non formidat, moritur, moriturque secundùm:
Non moritur qui formidat, licet ille priore
Morte cadat, visusque mori vitalibus auris
Defungatur, ego venio optatissimus illi
Aeternam ad vitam introitus, requiesque laborum.
Talis in Ambrosium procedo futura: suorum
Namque hodie æternam capiet post fata quietem
Summorum vitæ in circo labente malorum,
Quæ Iustinæ odio, natique furoribus hausit.
Ergò age, morbe mei celer internuncie, pronas
Arrige promendis à me tibi vocibus aures.

MORBVS. *Arrigo: fare: tibi sum namque pedissequus.* MORS. *Ito ad*
Ambrosium, placidæque illum compone quieti.
Excutiat curas animis, operumque labores
Psalmographos, ad quos vigilans incumbit adeptâ
Pace per Illiricos fines, Italosque recessus.
Affectos leuiter simul atque afflixeris artus
Ipsius, te ponè adero, vitæque datura
Principium, maturum æui vitalibus auris
Eripiam. Indignata mori petit æthera Virtus.

Abeunt

Abeunte Morte, Morbus gradu celeriore ad Ambrosij ædes procedet, post pauca de se dicta.

SCENA DECIMA OCTAVA.

MORBVS & AMBROSIVS.

MORB.

IBo veternoso lentus torpore screator,
Cernuus, alatus, gibbosus, tabidus, hydrops,
Lippus, anhelator, syntecticus, hecticus, atta,
Omnigenique mali funesta cloaca: dolore
Hic tamen immodico Ambrosium exercere cauebo:
Decumbat satis est, satis est morti ostia molli
Impulsu patefacta dari; ne tam ipse putetur
Morte mori, placido quàm nantia lumina somno
Soluere, & æternæ sese laxare quieti.
Ergò gradum, iussu mortis, grandibo, repentè
Insiliamque virum, namque ista licentia prono
Exsignata Dei nutu est, vt viuida neruis
Corpora, nunc sternam præceps, nunc prægrauis æuum
In longum peredam lento languentia tabo.
En verò Ambrosius psalmis insomnis adhæret.
Ambrosi, inexhausto vacat indulsisse labori:
Otia te nunc alta vocant, atque altera vitæ
Regula: psalmum igitur qui quinquagesimus atque

Tertius

Tertius est, posthac ne commentare. AMBRO. *Quis istic*
Me dolor improuisus habet? quàm æquabilis! ohe,
Iam studij satis est: vitæ decumbere tempus.
MORBVS. *Quod fuit officij Morbo, afflictare, peregi:*
Excussi curas animis, manibusque labores
Ambrosio: lecto eneruus iam decubat: omnis
Incumbens mœsto iam turba domestica luctu,
Sollicitat frustra morbi medicamina: sic me
Cuncti execrantur: sic me exturbare laborant
Corporibus: neque enim salientes sanguine venas,
Nec tumidos auro loculos haurire grauantur,
Immò etiam ferrum membris patiuntur & ignes,
Vt simul elumbo elumbis cum corpore neruis
Elumbent me, me extenuent, ac cedere cogant,
Vt fragiles à morbo artus & morte reseruent.
Quàm, proprias medicari animas mortēque cauere
Aeternam, est potius! Sed væ mortalibus, æuum
Qui breue præponunt sæclis sine fine futuris.
At redeo ad Mortem: namque vrget tempus, vt illa
Eximat Ambrosium vitâ, cœlisque reponat.

SCENA

SCENA DECIMA NONA.

FELIX, LEONTIVM, & Orthodoxos ciues Mediolanenses visentes AMBROSIVM moribundum, de itinere percunctatus, ijs adiungit sese.

FELIX, LEONTIVS, AMBROSIVS, PAVLINVS, & Orthodoxi.

FELIX.

Quò ciues? quò nobilium spectata virorum
Turba, viam, trepidosque pedes conuertis? LEONT. *ad ægrum*
Ambrosium. FELIX. *Ambrosium! quid ais? morbo ergò laborat*
Ambrosius? LEONT. *Nec adhuc morbi est delata per aures*
Fama tuas? FELIX. *Nec adhuc tenuis mihi perculit aures*
Nuncius: hæc ergò vestrarum est causa viarum?
Cur verò tanto proceditis agmine? LEONT. *Iussu &*
Consilio Comitis Stiliconis iniuimus istam
Conuentu hoc turbâque viam. FELIX. *Mortisne periclo*
Proximus est? LEONT. *Etiam morti vitæque timetur.*

FELIX.

FELIX. *Itne etiam morti propiùs timor! aspera certè hec*
Sors Fidei est, rebusque Italis damnosa. LEONT. *Proinde*
Oratum Ambrosium vnanimes aduenimus, ille vt
Obsecret, imploretque Deum sibi tempora vitæ
Produci, dum res fidei Italiæque reposta
Antiquam in speciem nullis iam dêinde procellis
Euertenda gradu steterit constante. FELIX. *Morarum*
Nulla feram, comes adiunctus, retinacula? LEONT. *Nulla.*

FELIX. *Ingrediamur iter: si sit numerosius agmen,*
Profuerit. LEONT. *Mors hæc nobis omni arte moranda est.*

FELIX. *Ecce autem squallens oculis humentibus exit*
Paulinus. LEONT. *Pauline, vacaut Antistitis ædes*
Hospitibus? morbusne viro recrudiuit? FELIX. *An non*
Ambrosio, licet infirmo, sunt mollia fandi
Tempora? PAVLI. *Sunt: stratus spondâ ecce recumbit.* LEONT. *Ad illum*
Procedamus. O Antistes venerate, dolorum
Quem vis ægra Italis rapere occupat, ergóne Regno
Atque fide vix compositis in pace, relicto

Paulin. in vita Ambro. 45.

Deripiere

Deripiere gregi! Stilico Comes inclytus armis,
Insigni patriæ motus pietate, sacræque
Relligionis amore ardens, nos protinùs istuc
Oratum emisit, ne templa Italosque relinquas
Præproperè. AMBROS. *Mea mors, mea lubrica vita, Leonti,*
Statque caditque Dei dextrâ: vocat ille? vocanti
Parendum extēplò: iubet ille manere? manendū est.
FELIX. *At potes exorare Deum, vt tibi sæcula vitæ*
Extrahat, & Fidei, Ausonioque diutiùs orbi
Incolumem ac tutum præsenti à morte reseruet.
AMB. *Non ita vos inter vixi, vt me viuere posthac*
Pœniteat: neque verò mori formido retractat,
Quando bonum verè Dominum, cui cerea flecti
Viscera sunt, modò sincerè famulemur, habemus.
Ite, referte istæc fidi, Stiliconis ad aures.

SCENA VIGESIMA.

FElix permotus imperterrito sed benè comparato Ambrosij ad mortem animo, miratur suam & Orthodoxorum aliorum ad libidinem, luxum, auaritiam & ebrietatem, sine mortis metu, propensitatem.

FELIX.

ELoquar? an sileam? gemitus lacrymabilis imas
Occupat, ob noua quæ surgunt suspiria, fauces.

Ecce ſuperuacuos ingratâ mole labores
Exercemus, & in propriam, omnibus irridendi,
Præcipiti amentes incurrimus impete peſtem.
Tanquam immortales argento inhiamus & auro,
Extruimus terris, & iungimus ædibus ædes.
Carni indulgemus, luxu elumbamur, ad ollas
Aegypti, ad cæpas, Epicuri vt de grege porci,
Ad cyathos, epulas, menſas incumbimus ore
Inſaturato, auidi vanè popularibus auris
Paſcimur, illuſos ludis traducimus annos,
Iram, inimicitiam inter nos, odiumque fouemus,
Crimina criminibus ſuperaddimus, ignibus ignes,
Tormentis tormenta. Nec eſt ex ordine tanto
Vllus, in extremam vitæ qui prouidus horam
Reſpiciat, qui Iudicium, Infernumque reuoluat,
Et quæ circumſtent ſe deinde pericula, cernat.
Vita tamen breuis eſt, & mors incerta: repentè
Si torua obrepet, quàm triſti exibimus ore!
Quàm malè ſecuri! quàm paullùm in morte ſequaces
Ambroſij, qui nil pallens à morte futurâ,
Nec metuens, cæli æternum ſuſpirat ad æuum!
O mors, quàm horribilis, quàm lurida, triſtis, amara es
Diuitibus, quos vbertas, & multa bonorum
Copia, tranquillâ poſitos in pace coronat!

SCENA

SCENA VIGESIMA PRIMA.

IN quâ Mors, post exhortatos mortales ad feliciter moriendum, ad Ambrosium soluendum corporis ergastulo pergit.

MORS.

DIsce mori, mortalis homo, formidinis exsors:
Quid fugis? extremas quanquam fugitiuus in oras
Mundi ieris, quanquam æthereos tranaueris orbes,
Quanquam Acheronta petas, quanquam intra viscera terræ
Abdaris, te calce premam, teloque fugacem
Insequar, atque tuam hanc carnẽ, quã mollis inerte
Eneruas malè delicio, laxasque saginâ,
Assiduis gaudens epulis; serpentibus escam
Proÿciam, fortassè hodie, cras fortè. Caueto.
Insidiante gradu, non intellecta, solutos
Mollicie inuadam. Væ, væ prægnantibus illo
Tempore! væ instructis malè! væ torpentibus! vno
A momento æterni ignes, æternaque pendent
Gaudia. Securi ergò mei, infernæque gehennæ,
Irarumque Dei, mortine occumbere vultis?
Vos vitÿs, vos constantes opponite mundo:
Et vobis, velut Ambrosio, quem protinùs ægro
Corpore disclusura peto, mors læta futura est.

Epilogus ad auditores Prolium ſuarum perſonatarum hoc in dramate.

QVæ, Proceres? quæ veſtra fuit patientia, Ciues?
Fortè offenſa parum, ſed non indebita veſtris
Prolibus, exactas quas hîc audîſtis ad horas
Quattuor, immodico madidi conſtanter ab æſtu,
Tam vegetis animis conſtantia facta Beati
Ambroſÿ tragico referentes dramate. Veſtra eſt
Gratia; noſtræ operæ eſt huius meminiſſe. Valete.

Deo Opt. Max. B. Mariæ, Beatiſque Ambroſio, Geruaſio & Prothaſio gloria & gratia, Poëtæ peccatorum venia.

VBI

VBI FVERIT

SVPERBIA,

IBI ERIT ET

CONTVMELIA.

PROVERB. C. XI.

IOVINIANI

ANGELVS TVTELARIS

PROBAT.

PROLVSIO.

SI ter humum lætus feriam pede; si ter alacres
Ingeminem super hæc proscenia comica plausus;
Quis vitio vertat? nullus, puto: namque facetæ
Lætitiæ mihi materies hîc plurima surgit,
Cùm circùm video Proceres & lumina vulgi
Neruiadæ nostris animis affundere lucem
Lætificam, quæ tristitiæ nimbosa retergat
Nubila, dum Latiæ dabimus spectacula Scenæ.
Prôinde procul rugas tetricâ granitate Catones
Hinc auferte: valete graues gerulæquæ soporis
Materiæ, quæ nubiferis inuoluitis vmbris
Neruiadas, ne purpureo stent lumine Soles.
Huc risus, festique sales, modicique lepores,
Et condita iocis hilarantibus argumenta
Seria (dum solidè puréque seuera silebunt)
Ferte pedem: variate vices, statione theatra
Nostra tenete: placent ioca tempestiua, nec vnquam,
Desipuisse loco, fuit illætabile: namque
Omne tulit punctum, qui miscuit vtile dulci.
Ergò serenato radiati lumine Soles
Neruiadûm, nostræ vestros afflate fauores

Orchestræ. Princeps en ludio prodit: ab illo
Discetis rerum seriem, summamque futuri
Dramatis: illi animos linguasque adhibet eloquēti.

ACTVS PRIMVS.

SCENA PRIMA.

DISCLIA, & MEGALIGORVS qui actionis argumentum explicabit.

MEGALIG.

I *Tacito, mea nata, gradu, furtimque propinquis*
Aedibus, ingratis infer vestigia plantis.
DISCLIA. *Ibo, parens, licet ignorem quo fine.* MEGALIG. *Videbis*
Euentum finemque rei, ne quære doceri
Intempestiuè: tantùm quod mando, capesse.
DISCLIA. *Non erit vlla mihi mora: morigerabor ad vnguem*
Consilijs, iussisque tuis, incuria finis,
Euentusque viæ, pater imperiose. MEGALIGO. *Nocentes*
Tolle moras: iam namque tuos res ipsa reposcit
Aduentus. Vos verò, Viri, quos nomine prisco
Neruigenas Cæsar valido de robore dicit,
Atque omni BelgI à populo discriminat, vnâ hac
Nobili-

Nobilitate, meis docilem sermonibus aurem
Si dabitis, dicam conciso carmine qui sim,
Quid veniam, ne vos incognita schemata turbent.
Ille ego sum dictus Graio Megaligorus ore,
Notior à Latio sermone Superbia. De me hoc:
Ista autem emissa in scenæ penetralia, partus
Est meus, indecori offusus fartusque pudore,
Quam vòco Discliam Græcorum idiomate. Vestri
Voce aliâ hanc Ignominiam vertere Latini:
Namque Ignominiam fastosa Superbia gignit.
Sed quorsum aduersas taciturna irrepserit ædes
Illa meo de consilio, perdiscite causam.
Italiâ imperium, famam qui terminat astris,
Iouinianus, in his sine lege modoque moratur
Aedibus, atque nouo tumidus præcordia fastu
Propter opum ingentes cumulos, nomenque, statum-
que,
Se magno infelix mundi pro Numine finget.
At quia diuinos vt quis mortalis honores
Arroget, indignum est (nam momento interit vno,
Infamemque subit fastosa Superbia finem)
Ipse voluptatis caussâ, quæ temperet æstus
Immodicos, famulis paullùm secretus adibit
Balnea: cœlestis Genius, dum se ille lauabit,
Ad famulos, vestes furtiuè indutus heriles
Procedet, Dominique domum per nota redibit
Hospitia. Ille repentè suo spoliatus amictu
Excandescet, & absentes, surdosque ministros
Frustra, animi præceps, iterumque iterumq; vocabit,

Ac totâ sine mente domo, cum felle requiret.
Hospita palanti interea ruet obuia, & hospes,
Nocturnumque rati furem, probrisque flagrisque
Excipient, trudentque foras. Miserandus, inopsque
Consilij, & vestis, vano ingratoque labore
Per nota hospitia ad notos diuertet amicos.

Disclia hæc mea progenies nunc cominùs illum
Calce premet, iusto nunc longior interuallo
Eminùs opprobrijs onerans, mordaceque linguâ
Conuellens, meritum me autore sequetur euntem,
Dum scelus agnoscens, animum ad meliora reflectat.
Namque vbi, me abiecto, commissa piacula pœnis
Eluerit, prisco imperij ponetur honore.
Dramatis hic tum finis erit. Spectate superbi
Gressum, animum, curam, gestum, finemque viri, me
Consule: namque istæc ad viuum expressa dabuntur.
Interea partesque meas & munus obibo.

SCENA SECVNDA.

IOVINIANVS, GENIVS eius tutelaris, MEGALIGORVS, HONOR cœlestis, LEPTOSECLES, STASIMVS, DIPNOPHILVS, tres famuli.

IOVINIANVS.

QVod toties votis optaui ardentibus, omnem
Vt vitam placidæ tranquilla per otia pacis
Exigerem, voluenda dies en attulit vltrò.
Mœror abi, fuge cura, facesse cupido, veternum
Excutere, intempeste metus, liuorque valete.
GENIVS. *Cura, cupido, metus, torpor, liuorque manete:*
Nāque vbi opes multæ, multa est ibi cura, timorque.
IOVINIA. *Quanta meæ penetrale domus pax insidet?* GENIVS. *Immò*
Irrequiete domus discors crepat icta tumultu:
Quippe quiete carent habitatæ regibus ædes.
MEGALI. *Quin iactas tua magnificè ostentasque talenta,*
Quæ mediâ cælata domo custodia seruat
Ferrea? IOVINIA. *Plenè opulenta beant me armaria: namque*
Plurima multi auri sunt pondera clausa, minæque

Argenti

Argenti infecti & facti. GENIVS. *Rem indagine cæcâ*
Difficilem, incertâ ancipitem custodiâ, acerbam
Iacturâ, atque tibi moribundo tædia mille
Allaturam, effers tumido intolerabilis ore.
MEGALI. *In numerum cense famulos.* IOVINI. *Sunt ordine longo*
Seruitio celeres famuli. GENIVS. *Sunt mille ciborum*
Lurcones, pestesque penus, vastæque charybdes.
Nec tibi iam spes vlla fugæ est, quando ordine longo
Te quasi latronem vinclo multiplice, opumque
Compedibus strictè vinctum ad lacrymata profundi
Inferni spelæa trahat, rapiatque satelles
Seruilis. MEGALI. *Retices epulas, ante ora paratas,*
Artificique manu obsonata obsonia. IOVINI. *Certè,*
Præ me, hominum felix nemo: Mihi ab arte magistrâ
Daps instructa domi est. GENIVS. *Breuis huius circulus æui,*
Et quasi curta dies fluit, ad noctemque propinquat,
Et cœnam turpi macie, esurieque laborans
Vermis auet conuiua, caro tua pabula vermi
Lauta dabit: posthac epulas iactantior i fer
Cœlo. MEGALIGO. *Etiamne tuo tot defæcata palato*

Vina,

Vina, quibus preßim vinaria cella redundat,
Supprimis? IOVINI. *heus! bellè immemorem oblitumque mones me,*
Vt Ganimedæis manibus dignißima promi
Vina, meas interque manus & viscera ponam:
Sunt mihi namque penu specie non simplice, bima,
Horna, eluta, mera, effugientia, mollia, firma,
Feruida, quæ exsurdare queant etiam acre palatum.
I Ganimedæâ dextrâ puer, i celer, hornum
Molle, laborati panis frustumque ministra.
GENIVS. *Non te ego væcordem atque emotâ mente putarim*
Eße hominem, tibi qui vilem hunc congeßeris aulâ
Thesaurum? Terræ ergo cruor, virusque cicutæ,
Fellis & vua, hominum sanas furiantia mentes
Munera, thesauri specie centumne fuerunt
Clauibus aßeruanda? Tibi si in pectore simplex
Mica salis foret, ad mustum generosius ires
Feruidior, mustum quod amor ferrumque recluso
De Christi pendente cado, costisque sacrati
Corporis expreßit, plenis ardenter aueres
Faucibus epotare: etenim tua vina bibentem
Dementant, tentantque pedes, linguamque loquendo
Præpediunt: Christi mustum peramabile, mentes
Virgineas, quæ Cœlestes virtutibus æquent,
Germinat, exhilarat, clarat, corroborat, æuo
Aeternat. IOVINI. *Quo delicio mea viscera vinum hoc*

Imbuit!

Argenti infecti & facti. GENIVS. *Rem indagine cæcâ*
Difficilem, incertâ ancipitem custodiâ, acerbam
Iacturâ, atque tibi moribundo tædia mille
Allaturam, efferς tumido intolerabilis ore.
MEGALI. *In numerum cense famulos.* IOVINI. *Sunt ordine longo*
Seruitio celeres famuli. GENIVS. *Sunt mille ciborum*
Lurcones, pestesque penus, vastæque charybdes.
Nec tibi iam spes vlla fugæ est, quando ordine longo
Te quasi latronem vinclo multiplice, opumque
Compedibus strictè vinctum ad lacrymata profundi
Inferni spelæa trahat, rapiatque satelles
Seruilis. MEGALI. *Retices epulas, ante ora paratas,*
Artificique manu obsonata obsonia. IOVINI. *Certè,*
Præ me, hominum felix nemo: Mihi ab arte magistrâ
Daps instructa domi est. GENIVS. *Breuis huius circulus æui,*
Et quasi curta dies fluit, ad noctemque propinquat,
Et cœnam turpi macie, esurieque laborans
Vermis auet conuiua, caro tua pabula vermi
Lauta dabit: posthac epulas iactantior i fer
Cœlo. MEGALIGO. *Etiamne tuo tot defæcata palato*

Vina,

Vina, quibus preßim vinaria cella redundat,
Supprimis? IOVINI. *heus! belle immemorem oblitumque mones me,*
Vt Ganimedæis manibus dignißima promi
Vina, meas interque manus & viscera ponam:
Sunt mihi namque penu specie non simplice, bima,
Horna, eluta, mera, effugientia, mollia, firma,
Feruida, quæ exsurdare queant etiam acre palatum.
I Ganimedæâ dextrâ puer, i celer, hornum
Molle, laborati panis frustumque ministra.
GENIVS. *Non te ego væcordem atque emotâ mente putarim*
Eße hominem, tibi qui vilem hunc congeßeris aulâ
Thesaurum? Terræ ergo cruor, virusque cicutæ,
Fellis & vua, hominum sanas furiantia mentes
Munera, thesauri specie centumne fuerunt
Clauibus asseruanda? Tibi si in pectore simplex
Mica salis foret, ad mustum generosius ires
Feruidior, mustum quod amor ferrumque recluso
De Christi pendente cado, costisque sacrati
Corporis expreßit, plenis ardenter aueres
Faucibus epotare: etenim tua vina bibentem
Dementant, tentantque pedes, linguamque loquendo
Præpediunt: Christi mustum peramabile, mentes
Virgineas, quæ Cælestes virtutibus æquent,
Germinat, exhilarat, clarat, corroborat, æuo
Aeternat. IOVINI. *Quo delicio mea viscera vinum hoc*

Imbuit!

Imbuit! MEGALI. *Ecquid aues vltrà, quod te esse beatum*
Donet? IOVINI. *Io! in solido est fundata potentia.*
GENIVS. *Nescis*
Res hominum non stare, Dei sed numine verti,
Puluercam veluti nubem, quæ concita gyro
Ludibrium differtur, agi per lubrica? IOVINI. *Longè*
Conspicuam famam ad longum memorabilis æuum
Porrigo. GENIVS. *Ne fallare, caue: si namque patentis*
Terræque tractusque maris vel sæcula spectes,
Nil erit hoc longum tumido quod concipis excors
Pectore: quid, iusto si nunc examine cœlum
Immensum toti (quamcumque extenditur) orbi
Contuleris, quid erit, quanquam sit maximus, orbis?
Punctum erit, & cœlo spacijs distabit iniquis.
Tempus at omne minus pũcto. Longè ergò quid vltrà
Infelix habeas? quàm sit iam angusta, videto,
Gloria! MEGALIG. *Nil hic tergeminis de applausibus affers?*
Omne adeò tibi Romanum cum Principe vulgus
Velificant: vni tribuunt tibi Patris honorem.
IOVINI. *Per cuneos passim geminus plebisque Patrumque*
Me plausus beat, obseruat, veneratur, adorat.
HONOR. *Nescit hic, heu! nimium gaudens popularibus auris,*
Non sibi, sed vanis opibus vanissima laudum
Nubila

Nubila suffundi, & varium ad contraria vulgus
Vi nullâ haud dubiæ mortis tardare volucres
Posse alas, sontemque Dei subducere iusto
Iudicio, à quo non poterit deflectere mundus.
MEGAL. *Sortiri potes augustum pro nomine Numen.*
IOVINI. *Aequalis Superûm gradior, qualisque videri*
Cælicolis quantusque solet Deus, idem ego terris
Paßim habeor. GENIVS. *Quò se vesana superbia tollit!*
Olim in præcipiti stantem, grauiore ruinâ
Prolapsum, casuque pari inuoluiße meorum
Ingentem comitum numerum, pro talibus ausis
Nunc implacatâ exuri fornace memento
Luciferum. IOVINI. *Satis est.* GENIVS. *Tute ipse fatebere contrà.*
Pacis abest vsura. IOVINIA. *Mihi, quod mente petiui,*
Obtigit: hoc superest, partâ iam pace potiri.
GENIVS. *Irrequieta quies mundo est: nonne antè futurum*
Prædixi? pacem sperat: sed nulla malis pax,
Speratæ tibi turba repens erit inuida pacis.

MEGAL.

Omne hominum genus in terris tua gloria longè
Exsuperat: nihil est, posthac quod auarior optes.

I tantùm, curamque tui gere corporis. IOVINI. *Ibo:*
Curabo incaleant mihi balnea, quando per ignem
Corporis excoquitur vitium omne, & inutilis humor
Exsudat. Citò, Leptosecles, excurre, iubeque
Calfaciat thermas vicinus in ædibus hospes,
Temperet ignis aquas, vnguenta parentur. LEPTO. *Herili*
Nulla mora in puero. IOVINI. *Tenui sequor interuallo:*
Appropera. Intereà, famuli, dum postulet vsus,
Ne longè auersi quoquam discedite. STASIMVS. *Iussis*
Morigeri, facilesque tuis, Auguste, ministri
Nutibus, interiore domus hærebimus omnes
Vestibulo, dum voce voces, si fortè vocabis.
MEGAL. *Me verò malè fida tuis vestigia plantis*
Hactenus adiunxisse vacat: te nostra sequatur
Progenies iam dêinde, decet. Si fortè carebit
Successu mea fraus, Ignominiamque repelles,
Regrediar, teque vrgebo grauioribus armis.

SCENA

SCENA TERTIA.

GENIVS, HONOR.

GENIVS.

OBstruit oppositas monitis cælestibus aures.
Ecce mihi diuersus abit, cæcusque superbi
Dæmonis aufertur flabro, rapiturque procellâ
Nescius heu mortis subitæ, ignarusque patentis
Inferni, quò præcipitem tumor improbus, alto
Atque supercilio fastosa superbia raptat,
Ni properè sua versa retro vestigia prudens
Flexerit. HONOR. Ostendi vitæ cælestis honores
Aeternos; at honor terræ fucatus, & aura
Futilis inflexit sensus, animumque labantem
Impulit: ostendi ætherei omnipatentia regni
Sceptra, potestates, titulos, & nomina genti
Humanæ, fragili capitur quæ laude, parata;
Vixque, adeoque nihil, quamuis instante labore,
Profeci: nullis vnquam variabile seclis
Delicium (illecebras turbæ mortalis) in aurem
Suggeßi: verùm nihil intractabilis audit.
GENIVS. En, quid agam? in thermasne virum indefeßus euntem
Insequar? HONOR. At nullas interni ob murmura fastus

Ipse tuas voces væcors admittit in aurem.

GENIVS. *An scelerum per iniqua sinam prærupta, latronis*
Infernalis ab vngue rapi, mandique, lupi ceu
Dente agnum? HONOR. *Quid agas? pereat, si dulce perire est.*

GENIVS. *Irrita sic fuerit pernox tutela, precumque*
Copia, quâ miserum tot iam labentibus annis
Protexi? innumera immensi benefacta Parentis
Irrita erunt? HONOR. *Vt sint, pereat si hac peste, necessum est.*
Agnoscas, ô turba hominum, quo magna Dei mens
Te malè demeritam dignatur amoris honore,
Agnoscensque caue, propriæ ne prodiga vitæ
Proijcias animam in mortis discrimen. Apertos
Ecce tibi latè cœli septemplicis orbes,
Et circumfusam multo rerum vbere molem
Terrarum posuit: Quia verò accommoda fraudi
Mille vijs densæ noctis per nubila texunt,
Impediuntque dolis morum diuortia turbæ
Prædonum, cœli proceres sine corpore mentes
In curam capitisque tui, casusque leuamen,
Et certum vitæ auxilium, transmisit habendos.

GENIVS.

Quorum ego pars: Nos insidias aperimus & hostes:
Stricta, parata neci nos tela retundimus. Vllo
Si qui hominum penitùs vitiorum pondere pressi

Non

Non teneant titubata ſolo veſtigia, ſtratos
Erigimus: fœdæ violatos vulnere culpæ
Curamus: validis raptos ad funera vinclis
Soluimus: inferni ſorberi à fauce vetamus.

HONOR. *Credite: teſtis enim eſt Tobias, quem piſcis hiante*
A rictu, ſæuâque, Rages in mœnibus, irâ
Dæmonis, immunem, Raphaël dedit eſſe pericli
Securum. Iſacides Eſau germanus, eâdem
Fretus ope, euaſit furias & fulmina fratris.

GENIVS. *Nos homini ſecreta Dei recludimus: vnde*
Namque aquilæ ſimilis, Pathmos in finibus exul
Ioannes, ſuperi raptus trans ardua cœli
Senſibus, impermiſſa olim myſteria tangi
Plurima dilato potuit perdiſcere velo?
Ni plena arcanis oſtenſa volumina, noſtro
Auxilio, ſollers oculo vigilante voraſſet?

HONOR. *Si reſes illecebræ perituræ indormiat vllus,*
Aeternâque piger pro laude ſubire laborem
Horreat, hi proceres ſtimulis torpentia pungunt
Corda. GENIVS. *Soporatum ſic Petrum in carcere, Vatem*
Eliam ſolo recubantem in vertice montis;
Zachariam lecti ſtratis in mollibus olim
Ad celebres acri ſtimulauimus impete curas.
Nos hominum cœlo ferimus pia vota: litatis
Nos ſacris oracla damus. Mortalia gaudent

 Pectora?

Pectora? sunt nobis & mutua gaudia: mœrent?
Mutuus est nobis mœror: patiuntur? & vnà
Nos patimur, licet immunes in mente laboris.
Adsumus ad pugnas: obito certamine palmam
Deferimus. HONOR. *Sunt magna quidem quæ personat: altis*
At longè maiora manent penetralibus aulæ
Cœlestis genus humanum, nisi captet inanes
Delicias, & opes inopes, inhonoraque honorum
Nomina, perpetuis venales ignibus hamos.
GENIVS. *O hominum genus ingratum, imprudensque tuorum*
Damnorum! tot nequidquam cœlestia dona,
Tot bona naturæ, tot munera corporis, atque
Terrenas tibi diuitias donarit IESVS
Incassum! vili interea inuoluére luto sus!
Namque quid est animi fastusque tumorque? quid omne
Delicium carnis? quid opes? nisi scrupea terræ
Rudera, quique tenent vacuos per inania sensus
Gaudia, surgentes terrenâ è fece vapores:
Quis lacrymata meo me fundere flumina vultu
Concedat? HONOR. *Queritur, gemit, illacrymatur amarè*
Angelus æternæ pacis: nec proficit hilum.
GENIVS. *Sed quid ego has lacrymas, quercu dum surdior, æquo*
Consilio monitisque meis obsurduit amens
Iouinianus, & illecebris obbrutuit? Illum

Si

Si nulla accendit cœlestis gloria regni;
Nec mea, quin stupido captet mendacia sensu,
Verba mouent; equidem haud dubitem explorare, nouisne
Artibus eualeam sublimem euertere fastum.
Opportuna meis adspirant tempora votis:
Nam calidis dum versat adhuc spoliatus amictu
In thermis artus, nardo myrrhâque madentes;
In vestes vocemque eius mutatus, & ora,
Imperiale aptabo mihi cum nomine sceptrum.
Quem non flexi animum instinctu, hunc infamia franget.

SCENA QVARTA.

DISCLIA, siue Infamia sola.

VÆ *tibi, Iouiniane, tuo si deinde proteruus*
Hæseris in fastu: tibi namque Infamia tergo
Immortalis adhærescet, cudensque crucem crux.
Ast immane supercilium nequit antè remitti,
Quàm perfecta sui, cælique scientia longè
Differat infernale chaos, noctemque repurget.
Tantùm adeò in morbi furys capit incrementum
Indulgens sibi dirus hydrops, vt nulla furenti
Sit medicina malo, morbi nisi caussa profundis

Pulsa fluat venis, & languor aquosus ab albo
Corpore dimanet. Sic mens elata, suique
Cæcus amor, dum furua reum circumplicat vmbra,
Crescit in immensum, neque spes est vlla salutis,
Ni Deus affundat lucem, quâ nubilus error,
Noxque superbifici fastus dilata feratur
In nihilum. Quis porrò altè sese efferet excors,
Si scelus agnorit, quo flagra meretur & ignes?
Si prudente animi studio curâque retractet
Quàm graueolente fuit conceptus semine? quàm sit
Infirmâ lutei compagine corporis, annos
Post aliquot, paucasue horas, soluendus inertem
In cinerem? quàm sollicitus metuenda seueri
Iudicis arbitria expectet? quàm flammea sedes,
Damnatas interque animas ac dæmonas, illi
Sit iam instructa, sui immodici pro crimine fastus?
Hæc si animi quisquam prudens euoluat ad vnguem,
Audebitne supercilium fastosus ad astra
Tollere, vel certare loco pro principe? quisquis
Fecerit, infaustum claudet miserabilis æuum
Instar Abimelech, Zambri, Absalomique, & Amanis,
Quos, quia per fastum ambibant loca prima superbi,
Depressit Deus, ante diemque iratior hausit
Funere. Sic animos elatos deprimit vltor.

SCENA

SCENA QVINTA.

STASIMVS, DIPNOPHILVS, LEPTOSECLES, OENOCLEPTES, Iouiniani famuli.

STASIMVS.

*Q*Væ tandem dabitur finis cunctantibus? DIPNO. *Ecquò*
Proferet hæc seræ crudelia tædia noctis
Noster herus; famulosque suos, dum Sardanapali
Instar, odoratum corpus per balnea mollis
Voluit, & indulget vino, volet vsque morari
Insomnes? STASI. *Quodq; impasti latrantia ventris*
Ilia peius habet sine potu epuloque. DIP. *Facessat*
Omne epulum: in somnum, quàm mensam, incumbere malim:
Namque ego iam ternas nocturna ad lumina noctes
Insomnes produxi: oculum, quin nictet amicam
In requiem, vix contineo: corpusque recusat
Hac statione graui perstare diutiùs. STAS. *Euge,*
Euge, tuis lentis oculis, & corpore somnos
Excute. DIPNO. *Ne requiem tua multa molestia rumpat.*
STASI. *Eia soporiferos hilaro sermone repelle*
Humores. DIPNOP. *Sine me tenui indulgere sopori:*

Sin, malè nos ambos inter pax congruet. Audes
Pergere? Ahe! esurio densâ mihi nocte videris.
STAS. *Non tibi, sed mihi ego esurio: somnum abÿce.* DIPN. *Pugnos*
Ni cœnare voles, absiste. Lacessere pergis?
Dico iterũque, iterumque, caue: nam plurima ventris
Esuries non exacuit tantùm mihi dentem,
At latrantem etiam stomachum. Grauis atque molestus
Es mihi captanti somnum: Nisi siueris; LEPTO. *Aha!*
Lautam habeo prædam. DIPNO. *Fugat hæc mihi præda soporem:*
Ad me accede. LEPTO. *Cauebo: meam ne subleuet vllus*
Vngue manum, nec enim est pondus, quod suaue palato est.
Vos tamen in partem socios prædamque venire
Non prohibebo. STASI. *Ferens grauiter ieiunia, nocti*
Optaram effodisse oculos: iam pœnitet. Vnde
At lepidi capitis puer ô bellissime, tanta
Subtracti furtim leporis tibi gratia venit?
Fare age: nam totis venaticus ædibus erro
Non potui, multâ quamuis indagine, tantum
Prendere. LEPTO. *Cernis vti sim nare sagacior? vnâ*
Nocte epulas quæris venaticus ædibus erro,
Nec tibi circùm obitis prædam reperire facultas:

Ast

Ast ego non obij tantùm venaticus ædes,
Immò rapace feram prædamque molosßicus vngui
Apprendi: Lusi ludumque, iocumque iocosum
Iucundus: dum namque epulis post balnea mensas
Instruo, mentitum prunis adstare molossum,
Atque obsonatas malis audacibus escas
Mandere, dum sua terga coquus diuerterat igni,
Me clamore sequi rapientem obsonia furem
Irato similis fingo: res credita. Sic fit,
Quem dominus frugi famulum putat, esse molossum.
OENOCL. *O socij, quàm fida fuit mihi dextera furto!*
DIPNO. *Ceruisia est?* OENOCLE. *Tu ceruisiam!* STAS. *Dum feruida torquet*
Ora sitis, non ceruisiam tantùm hausero, at vndam.
OENOC. *Nil ego Leptosecli iam debeo.* DIPN. *Desine gerras*
Texere: dic quid habent tua pocula. OENOC. *Clepserit ille*
In vestràs detosta gulas obsonia. STAS. *Nunquid*
Congrua sunt ventri quæ clepsit fercula? OENOC. *Quid tum?*
Illa siti quid profuerint? nisi forsan ouino
More, fuit libitum vobis prandere, sine vndâ.

DIPNO.

Quid suspensa tenes, furuncule, guttura? STAS. *Pergis?*

OENOCL. *Me sinite, atque mei socios vos fecero furti.*

STAS. *Experiamur.* OENOCL. *Abite: manus ne forsan aberret,*

Nostraque tam caro frustretur guttura vino.

Ecce aqua, non qualem patriæ dant flumine trullæ,

Sed quam Sol coquit æstiuus, quam purpura tingit.

DIPNO. *Increpuere fores.* STAS. *herus est.* LEP. *Sileatur.*

SCENA SEXTA.

GENIVS Iouiniani, cum famulis prioribus.

GENIVS.

ADeste
Hic famuli. Quando similis vestemque, coloremque,
Osque, sonumque viro, subeo proscenia; mores
Et vitæ ratio bellè assimilata priori
Conueniant, decet. Ergò acer dispendia segnis
Longa moræ increpitabo: Foras prodite: quid istic,
Non mihi, sed sibi quisque, cutique, gulæque ministri
Tardatis? Dominine suos ad limina seruos,

An ſerui potiùs Dominos cunctentur? Iners eſt
Seruorum obſequium: ſunt turba domeſtica ſerui.
Multi vbi ſunt ſerui, ſunt multa & murmura, pigri
Sunt ad opus ventres, ſunt lubrica guttura menſis.
Sat ſuper hoc. Properate, meis inſiſtite plantis.
Tu præcurre puer, noſtrique ibi nuncius eſto:
Te ſequimur. Meus hic quia Iouinianus ad ædes
Vicinas, cauſsâ auxilij præſentis, opiſque,
Diuertet; ſtatui, famoſum vt dedecus amens
Induat, aut animum ſemel ad meliora reflectat,
Ipſius hac facie ignarum præuertere. Flectam
Inde abiens iter ad conſanguinitate propinquum
Illuſtremque virum, proprio quem limine egentem,
Officijſque piè cumulatum ingentibus ille
Excepit. Quanta elatos infamia faſtus
Ludet! erunt tanto ſpectacula digna theatro.

SCE-

SCENA SEPTIMA.

EVCLIO reliquis manentibus.

LEPTO.

ECce huc progreditur. EVCLIO. *Salue, Augustißime Princeps,*
Mene, measque tuo ingressu dignaberis ædes?
GENIVS. *Dignabor.* EVCLIO. *Sed nostra tuis opibusque, tuoque*
Splendore est indigna penus. GENIVS. *Quæcunque placebit.*
EVCLIO. *Ergo lubens succede meis magalibus hospes.*

SCENA OCTAVA.

IOVINIANVS solus.

H*Aula! haula! hau! famuli: famuli: nullusne vocanti*
Responsat? Famuli, huc. Vbi sunt penuarij, edaces,
Lurcones, intemperiæ, vastæque charybdes
Et pestes penuum? Serui huc properate: gradumne
Vultis ego testudineum sudibusque flagrisque
Gran-

Grandiam? Adeste mihi celeres: auditis? adeste:
Ferte citi vestem. Nusquam vestigia: nusquam
Vox audita mihi: secretam iniere popinam,
Procurantque alibi sua corpora. Quos ego! curas
Ad veteres si quando domum, si quando reuertant.
En, vili quàm nobilitas obnoxia turbæ est!
Nos tantùm in venerem, choreas, gerrasque, iocosque,
Et somnum, & mensas, fruges consumere natos
Ignauos alimus fucos, & plumbea prorsum
Corpora. Mille velim vltores huc Dæmonas antris
Infernis ruere, & secum hos raptare ministros.
At gelido tremulus tabesco frigore, nequam
Seruorum patiens ad prima crepuscula tardæ
Noctis: odoratas nardo myrrhâque tenebo
Commodiùs thermas, famuli dum fortè redibunt.

SCENA NONA.

BLEFERO, & ALBERTA thermarum hera.

ALBERTA.

Quem videor strepitantem altâ sub nocte per ædes
Exaudisse? Latetne aliquis furunculus vmbrâ?
Non credo: quà namque pedem corpusque tulisset?

Ostia

Ostia sunt obiecta : domum firmo obice clausi:
Non patet à muris aditus, per & atria nemo est:
Excessere omnes: famulis comitatus abiuit
Iouinianus: inabruptos iam fessa meorum
Turba ministrorum prostant de corpore somnos.
Est aliquis: neque enim auditus me aliquando fefellit.

BLEFERO. Omnia sunt secura: nihil discriminis affert
Vox audita: Alberta redi: quid frigore tabes?
Lucifugus vicos fortassè perambulat erro,
Nocturnusue aliquis potor. ALBERTA. Tibi, Blefero, surda
Iudicor? ex imis tecti penetralibus illud
Murmur ést, non, quod tu rere, forinsecus. BLEFE. An non
Singula rimanti, si quis foret, obuius iret?
Te curis frustra exerces Alberta: reuerte
Ad somnum. ALBERTA. In somnum nocte hac non soluar; opertis
Non oculis, non securo bene pectore somnum
Accipiam: nam mens placidâ haud contenta quiete est.

SCENA

SCENA DECIMA.

EVCLIO, GENIVS, cum famulis, & MOPSO.

EVCLIO.

AD tua sic redeas, Auguste, palatia! GEN. *Quidni?*
EVCLIO. *Et serâ sub nocte quidem!* GENIVS. *Opportuna viæ nox.*
EVCLIO. *Mopse præi, signaque vias ardente lucernâ.*
GENIVS. *Nil Mopsi præeuntis opus, lataque lucernæ.*
Quæ fixit cælo astra Deus sublustria, nobis
Signabunt satis illa vias, præquamque lucerna hæc,
Luce suâ certos ad nota palatia ducent.
EVCLIO. *Es prudente, cato, sollerteque pectore, Cæsar,*
Propterea me agresti animo bardoque colonum
Dedecet aduersis contrà rationibus instem.
Cùm tenui tamen hinc spacio Cleobulia distent
Castra, quibus petis hac tutus requiescere nocte,
Vnum oro, celeri vt liceat præcurrere passu,
Aduentumque tuum incautis prædicere. GENIVS. *Currens*

Curricu-

Curriculo esto mei venientis nuncius. EVCLIO. *Istic*
Nunc ero: sed ne pestem aliquam abs humentibus umbris
Fortè trahas, seræ nocti decede, meâque
Tantisper cunctare casâ. Citò Mopsule, cura
Indoperatori vt laganos vxorcula pinsat.
GENIVS. *Nil laganis opus, atque casâ, remorâque: citato*
Tu pede nuncius esto mei venientis ad arcem
Vicinam. EVCLIO. *Propero.* GENIVS. *Properantem ego passibus æquis*
Ponè sequor, calcemque premo tibi calce propinquus.
Namque viæ medio multâ sub nocte per vmbram
Produxisse moras est res malè tuta salubrisque.
EVCLIO, *Accelera, Cleobule, tuas vicinus ad ædes*
Adstat Cæsar. CLEOB. *Vbi est?* EVCLIO. *Tergo tibi proximus hæret.*
GENIVS. *En, Cleobule, tuam non expectatus in arcem*
Irrepo. CLEOB. *Indoperator, ades mihi gratior almo*
Ore serenatæ Phœbes, licet improuisus.
Ast indigna tuo splendore instructa culina est.
GENIVS. *Colloquium requiemque peto, non quæro culinam.*

SCENA

SCENA VNDECIMA.

DISCLIA.

*O*Fficij iam facta potens Infamia, vobis
Quæ faciles moueant petulanti splene cachinnos
Et risus, fero: concussis applaudite palmis
Belgicolæ: quæcumque super fortuna laborum est,
Ipsa regam. Quisquis mecum (quà certa feret res)
Venturo in medium volet insultare, licebit.
Ast vnum hoc repetens iterumque iterumque monebo
Præsentes, animis vt sint præsentibus, vt si
Quæ videant, si quæ tersa contentius aure
Excipiant probra aut sannas, & digna superbo
Scommata, quæ parua hâc hominum spectante coronâ
Iouinianum acres sunt confixura per ictus,
Parua putent præ ignominiâ fœdissimâ, ijsque
Opprobrijs, quibus, omni hominum præsente theatro,
Cœlestique choro, damnatorumque cateruis,
Olim æternandos infamabuntur ad annos
Turgentes animi, fastum nisi protinus omnem
Decutiant. Namque hæc præsens infamia, non est
Vmbra leuis, non est exilis imago futuræ.
Esto tamen leuis vmbra: leuem spectabitis vmbram.

SCENA DVODECIMA.

IOVINIANVS, DISCLIA.

IOVINIANVS.

VIso iterum, an tardi obsequia ad famularia trunci,
Et fungi, & pingues Epicuri de grege porci
Finierint aliquando epulas, & pocula. Nusquam
Apparent: longæ æquabunt conuiuia nocti,
In lucemque ferent, cruce, furcâ, funere digni
Lurcones. Mille attestor cacodæmonas, omnes
Tot pugnis, tot stipitibus, lorisque, reuersos
Obteram, vt ægri animas moribundis artubus efflent.

DISCLIA.

Prima rudimenta opprobrij, infamisque pudoris
Non vobis hæc fausta satis, non bella videntur?
Laudibus ornatur sapiens: possessio stulti
Est ignominia, & maculosum infamia nomen.

En

En Cæsar caret obsequio famulisque: videsne
Iouiniane tuos, te luso, abiisse ministros?
I, posthac multâ seruorum efferre coronâ.

IOVINIANVS.

Incassum opperior: nunquam illi hac nocte reuertent.
Dormierintne, moræ propter fastidia, circùm
Hic fusi? famuli! DISCLIA. *Stertunt: nil proficis isto*
Vix mihi inaudito quamquam clamore. IOVINI. *Ministri!*

SCENA DECIMA TERTIA.

ALBERTA, IOVINIANVS, BLEFERO.

ALBERTA.

Qvis mihi nocte domi est? an vecticularius? IOVINI. *Oho!*
Clamatum satis: en nocturna perambulat hospes:
Conspicuum esse pudet nudato corpore. ALBERTA. *Quid tu*
Porticibus vacuis per cæca silentia nostras
Nudus obis suspecte domos? IOVINI. *Absiste moueri:*
Nullum in nocte nefas: sum Iouinianus. ALBERTA. *Ain te*
Iouinianum! abijt: persoluit symbola: fur es,
Furcifer, & tanto prætexis nomine furtum.
IOVIN. *Hem! tene oblatis vigilantem insomnia spectris*
Ludificant? rabidis morbine furoribus amens
Hæc loqueris? ALBERTA. *Neque me vigilantem insomnia turbant,*
Nec mihi (quod cautè sceleratus fingis) inertem
Eripuit mentem morbus: discede. IOVINIA. *Quid istud*
Est? ergò sana & vigilans dormisque furisque?

ALBER-

ALBERTA. *Nec furor hic, neque somnus: abi.*
IOVINI. *Nonne ipsa mihi te*
Tecta introgresso meministi occurrere? thermas
Calfacere? exornare tuis conuiuia mensis?
Secretamque domus hinc inde tapetibus aulam
Instruere hesterno vix Sole cadente? quid vltrà
Argumenta petis? sum Iouinianus . ALBERTA.
Abiuit
Iouinianus: adhuc me insanam reris? ego ipsa
Sum comitata virum, non credis? ego ipsa reclusi
Obiecique fores abeunti. Ho! pergis? an aurum
Argentumque manu, quod post confecta rependit
Balnea, depromi petis? en: quid apertius? Ille
Discedens hæc æra dedit: tu perditus erro es,
Esurioque: meis nisi cesseris ædibus, acres
Incœnatus edes pugnos. DISCLIA. *Infamia,*
belle
Vir, totum tetris te circùm amplexibus ambit,
Atque, vtcumque caues, quin collutuleris abundè
Vix caueas: quid faris ad hæc? IOVINIA. *Hem!*
scortea prorsum
Fœmina, ludibriis immanibus aggeret iras,
Quas mora seruilis grauiter mihi suscitat! DIS-
CLIA. *An non*
Prædixi fore materiem segetemque cachinni?
IOVINIA. *Vna imbuta dolis famulorum, crimen*
acerbet
Fœmina! DISCLIA. *Io! vir belle, tibi hæc patie-*
ris inuri

Scommata! IOVINI. *Probrosis mihi tantùm iniuria verbis*
Fœmina compositò illudat! Nec ab hospite tutus
Hospes erit! tanto mulier me perfida ludo
Dignum habeat! sic vana ego sim tibi fabula! mendax
Hospita, fæx vulgi. Per sydera iuro, procacem
Istam hodie tibi linguam imâ de fauce reuellam.
ALBER. *Ante tibi auellam tua lintea: namque pudicè*
Et bene seruatur mea lingua. IOVINI. *Scelesta, cachinnis*
Non parces? ego mille teram tua liuida terga
Verberibus. ALBERTA. *Tu me, leno, latro, pestis, Auerne,*
Prædarumque Acherons, tundes? succurrite: prædo
Nocturnus populatur opes: succurrite: ferrum
Stringe marite.

SCENA DECIMA QVARTA.

BLEFERO reliquis interuenit.

BLEFERO.

QVid est? quid fit? ALBERTA. *Furibundus in ædes*
Prædo ruit, vique occipiens irrumpere, cœptis

Me

Me contra obnixam duro sub vulnere versat:
Seque (quod est dictu mirabile) venditat esse
Iouinianum. BLEFERO. *Itane alterius furaris honores*
Monstrum hominis? faciam, nisi te velocior hinc
Proripias, fastu insolito, non antea viso,
Turgescas: viuus nunquam egrediere: fereris.
IOVINI. *In me etiam pacto iurasti perfide tantum*
Velle nefas! Ego, sic, toti notissimus orbi
Nomine Iouinianus, ab his impunè cloacis
Scurrarum, velut abiectâ proiectior algâ,
Ludibrijs agar, & sannis petulantibus! BLEFE. *Eho!*
Verbero, nos scurras! quem te mentiris? onusta
Stipite, propudium infelix, tua terga fatigo,
Si mutis: apage. IOVINI. *Incassum tot perdita contra*
Consilia in miseri vnius conuersa pudorem
Dimico verborum telis grauioribus. Vnum
Hoc infelici, video, mihi denique restat,
Mollibus vt supplex dictis fera pectora placem.
O! nudi saltem miserescite principis, atque

Id sinite, vt grauia hinc post tot conuicia possim
Ad proprias remeare domos adopertus amictu.
BLEFE. *Antiquas repetis gerras, mastigia! Nudus*
Ni contentus abis, tenui hoc spoliabere velo
Et vitâ. IOVINI. *Furijs iam demum incensus & irâ*
Terribili, vt per plura citus sola verbere turbo,
Torqueor. Ergò meam illustri cum nomine famam,
Hospitioque tuo positam furabere vestem
Hospes inepte, iniuste, illex, labesque iuuentæ,
Hospes auare, procaxque, trahaxque, rapaxque peculI
Accipiter. BLEFERO. *Sine me, sine respirare, tibique*
Propinabo aliquid, spero, mordacis aceti.
Scortorum sordens stabulum, fæx, ganeo, vappa,
Gluto, catillo, nepos, curruca, popino, vorago,
Lucifuga, effractor, nebulo, æruscator, abactor,
Quisquiliæ, gnatho, gurges, edax, furaxque, fugaxque.
Hospes iniquus egon' stolido diiudicer ore?
Mene in ius rapias? eccum tibi debita, leno,
Restitui: tantùm fustes & funera restant.
IOVINI. *Pol, si iura vacent, non dextra vacabit inermis.*
Disperceam, nisi te, cùm primùm in nostra regressus
Tecta pedem intulero, spirans immane securi

Dis-

Discindam, in partesque secem, & socia agmina fraudis.

BLEFERO. *Victus abit leno impurus: sed ne qua malorum*
Semina decedens medias inspersa per ædes,
Quæ pestem exitiumque ferant, proiecerit, ibo,
Lustrabo, perque antra oculos ego singula voluam:
Non etenim potuit sine suspicione per vmbras
Versari: fœdæ metuo vestigia pestis.

ACTVS SECVNDVS.

SCENA PRIMA

GENIVS, CLEOBVLVS.

CLEOB.

VIx ingressus, abis tam festinanter! & antè
Quàm matutino Sol igne retexerit orbem!
GENIVS. *Maturanda via est: me cura domestica nocti*
Hospitioque tuo vetat indulgere. CLEOB. *Morasque*
Vel minimas trahere hic refugis? GENI. *Mora parua moranti*
Non rarò damnum tulit irreparabile. CLEOB. *Nulla*
Contingent aduersa tuis dispendia rebus.

Summa foris tibi, summa domi pax ridet: amica
Omnia. GENIVS. *Momento fieri concordia discors*
Sæpe solet: pacem bellum, requiemque tumultus
Excipit: exitium nautis, pestisque propinquat,
Subdola cùm ridet placidi pellacia ponti.
Omnia tuta homini sunt formidanda, neque ulli
Fidendum paci, dum spiritus hos regit artus.
Vade, vale, caue mortali confidere paci.

SCENA SECVNDA.

DISCLIA, IOVINIANVS.

DISCLIA.

IOuiniane, vide, tua quò te infamia raptet.
Nudus abis? istic paullùm cunctare, per auras
Fortè tibi referent muscæ pendentia palo
Vestimenta. IOVINI. *Etiam verbis illudis amaris*
Sordida lena ducem! DISCLIA. *Tua me infortunia tangunt.*
Nuda tegam vis membra? IOVINI. *Tuo me inuoluere speras*
Sus virosa luto, quem nunquam impura nefandis
Tactibus impuret mulier? DISCLIA. *Castissimus esto*
Fœmineo à tactu; nihilo tamen inde, superbe,

Castior es: nam te lutulenta superbia longè
Quam mulier, magis infecit. Me prôinde necessum
est
Amplectare tuis, nolisue, velisue, lacertis,
Et libata mihi des oscula. IOVINI. *Quæ scropha!*
vix me
Contineo, tua quin iratior inuolo terga.
DISCLIA. *Scilicet infami vt maculere aspergi-*
ne: namque
Non poteris sine me pòst viuere. IOVIN. *Verbera*
tractim
In luteam librata cutem, quæ membra soporent,
Gratis habe hæc: nec enim cepisti, vt credere fas est,
Somnum oculis, totam vigilans in scortea noctem.
DISCL. *Non equidem sum lena: neque ad lenonia*
veni.
Tu leno es, tumido exercens lenonia fastu:
Namque patet: nudo meretrix auulsit amictum.
IOVINI. *Obstrepitas? hæc gratis habe.* DISCLIA.
Tu gratis habeto,
Quando aliter nequeas pensare, infamia probra
Laudi adspersa tuæ. Nunc tandem, ò turgide fastu,
Te tua quæ sequitur, lenonem infamia prodit.
IOVINI. *Hem! querar? hem! sileam? tanta, hem!*
conuicia, tamque
Detestata feram ignauus sine vindice dextrâ!
DISC. *O ignominia! ô infamia! vt aleo, vixque*
Assecla mensarum semissis, & helluo famæ
Nobilis; hospitium prætexto nomine clari

Cæsaris

Cæsaris attentet maculoso adspergere tabo!

IOVINI. *Differor: heu! heu! exanimor, iactorque, trahorque,*

Et crucior diris cruciabilitatibus. Heu! me

Carnificina grauis lacerat, laniatque, necatque,

Sic vt nullam animi mihi dêinde superfore partem

Permetuam. Miserone vllam superare putarim

Perniciem, quæ læua meum caput obruat? vllam

Non video, inuisum nisi vitæ abrumpere stamen:

Namque ego iam toto miseris mortalibus orbe

Anteeo sannis, infami & nomine, quem sic

Ludificat, nudat, fugat, increpat, effricat hospes.

DISCLIA. *Mœrorum admistos stimulos, lacrymasque sequaces*

Risus habet: postrema tenet malè gaudia luctus.

IOVINI. *Quid faciam Augusti spoliatus honoribus? ecquis*

Suffugio tutus pateat locus? ecqua profundæ

Atra verecundum celauerit vmbra cauernæ?

DISCLIA. *Dêest tibi terra fugæ? Hospitio prohiberis auito?*

Me sequere, & sociam thalamo dignare iugali:

Vna salus ambobus erit. IOVINIA. *Mihi lena propinquas?*

Me virosa tuo attactu fœdare laboras

Intrepidè? Quibus hæc infamia prodit ab antris?

An stygÿs? DISCL. *Si tu stygÿs hac nocte sub antris*

Lauisti; inde pedum refero vestigia: noto

Sin

Sin magis hospitio indulgens calefacta subîsti
Balnea; ego inde etiam, non à Styge prodeo: densâ
Quippe intempestæ noctis caligine cincta,
Aedium ab aduerso latitabam poste, suborto
Inter te matremque domus patremque timultu.
Et quorsum inclinata animis certantibus irent
Iurgia, spectabam, nec eram spectabilis vlli.
IOVINI. *Non satis irarum stimulo me duplice pungi!*
Tertiane insano subdes calcaria cordi,
Vt mihi fata creem, vacors Infamia? flammæ
Dum gliscunt, & mista globis incendia fornax
Acrior eructat cœlo; tu pinguis oliuæ
Plena ministrabis rabido incrementa furori
Pocula! flammatis irâ vix tempero fibris,
Quin tua crudelis diuellam pelle, molamque
Ossa minutatim. DISCL. *Non hîc vltricia damni*
Arma tui, nec læsus honor, iacturaque famæ
Instauranda, priùs quàm lux inimica propinquet,
Vertitur: offensos aliò conuerte furores.
Hanc sino te spem ferre mei, vt miserabilis omnes
Fortunæ casusque vices constantior vnà
Me comitante feras. Scelerum probrosa nocentem
Vincula comprensum illaqueant, vinctumque sequuntur

Quæ

Quæ-loca-cumque obeat. IOVINI. *Fugientem insistere pergis?*

DISCLIA. *Omnibus ipsa locis infamem Infamia vindex*

Ponè sequor. IOVINI. *Quid si diuisos orbe Britannos*

Extremosque hominum Garamantas adiuero? DISCLIA. *Eódem*

Te sequar. IOVINI. *Oceani si dorsa immania pinu*

Mensus, inaccessas rupes penetrauero? DISCLIA. *Eódem*

Te sequar. IOVINI. *At nostris si perferar exsul ad orbem*

Obuersum pedibus? DISCL. *Nec eris securus: eódem*

Te sequar. IOVINI. *Ad cæli zonam, quæ torrida Sole*

Perpetuo, nullis est ciuibus hospita, gressum

Si tulero? DISCLIA. *Nec ibi viues desertus: eódem*

Te sequar, ac totâ penitus terrâque marique

Indefessa premam profugum, tenebrasque per omnes

Vrgebo: clausa, abstrusa, alta, imperuia, longa

Pertingam: nullo tardabitur obice, fastus

Immodici, tumidæque sequax Infamia culpæ.

IOVINI. *Si verò informi sub fronte latentia, telo*

Altiùs

Altiùs infoſſo terebrem tua lumina, quò me,
Quâue ſequére viâ? DISCLIA. *Vix bina hæc lumina fronte*
Exſculpes, quin vulgi oculos per cuncta ferentis
Munere, continuò viuis magè lucida tædis
Mille renaſcantur. IOVINI. *Mactata tegére ſepulchro.*

DISCLIA.

Indignata mori faſtus infamia, telo
Neſcit ab hoſtili tangique, tegique ſepulchro.
IOVINI. *Quid tot acerbatum extremâ iam nocte retentat*
Ludibrÿs ſalibuſque potens hæc lena? retecto
Ecce rubens ſol inuiſum caput exerit orbi:
Si perſto, videor, maiorque Infamia gliſcet.
DISCLIA. *Ne dubita: ingeminanda etenim eſt virga aſpera tergo*
Illius, qui cordis eget: qui porrò ſuperbit,
Cordis eget: nam cor faſtoſa ſuperbia clepſit.
IOVINI. *Sunt mihi feſtino repetenda palatia paſſu,*
Ni ſignari oculis, linguiſque procacibus optem.
DISCL. *Ne dubita, te namque manent dicteria, ſannæ,*
Probra ſalutantûm iuuenum, dum manè rubebit.
IOVINI. *Eſto: ſalutantûm malim probra paucula primo*
Sole pati, pleno quàm lumine plurima: nullos

Fortè

Fortè subibo oculos, via quà deserta patebit.

DISCLIA. *Heus! quid agis? patrias nudusne redibis ad ædes,*
Iouiniane? palam nullo coopertus amictu
Progrediere? oculis procerum communibus, heros
Illustris, pannosi instar nebulonis, apertos
Proycies, priscæ contemptor originis, artus?

IOVINI. *Progredior, quamuis à tergo Infamia musset.*

DISCL. *Dextrorsum, & læuorsum, antrorsumque, retrorsumque,*
Et quoquo versum vestigia flexeris, ibo
Dedecorans benè nata comes, comes indiuulsa,
Ne dubita. IOVINI. *Hanc surdâ patiens nisi protinus aure,*
Atque irreflexis oculis aspreuero lenam,
Alludente mihi, sine fine, obganniet ore:
Exeo. DISCLIA. *Ceu lurco, nebulo, parasitus, opumque*
Helluo? IOVINI. *Turbatam versanti in singula mentem*
Congruus occurrit, qui nostram in valle reductâ
Villam habitat, niuei pecoris fundique colonus
Diues: eò celeri certum est diuertere plantâ,
Vnam illic probris potero reperire salutem,

DISCL. *Phi! vir auis atauisque potens, à paupere rerum*
Rusticulo petat auxilium, vestemque! IOVINI. *Silebis?*

Vis

Vis premit & famæ studium: quid porrò? necesse est.
Exulet hinc pudor, exulet hinc Infamia. DISCL. *Nunquam*
Exulat à meritis effrons infamia culpis.
IOVINI. *Hîc notas pulsabo fores.* DISCL. *Pulsaberis vnà*
Cum foribus.

SCENA TERTIA.

EVCLIO, IOVINIANVS, DISCLIA.

EVCLIO.

Quis nostra hospes ferit ostia? IOVINI. *Segnis*
Eu! cessas aperire fores? me prospice. EVCLIO. *laruam*
Prospicio, agnoscoque. IOVINI. *Tibi sic notus agresti*
Iouinianus! an hæc meriti seruata fides est?
EVCLIO. *Iouinianus! itan' pellaci imponere verbo,*
Vrbanoque sale insulsum condire putasti
Agricolam? errasti: malè certa vbi retia, densam
Vimque canum effugit cerua extricata, cauebit
Pòst eadem, nec se feret in venabula prudens.
Retia mille meis loculis, caponibus, agnis,
Et larido, penuique meæ, iuguloque parata
Quæ fugi, me dêinde monent sim cautior, atque

Omnibus haud facilis recludam erronibus ædes.

IOVINI. *Non satis hic sano loquitur mihi pectore.*
EVCLIO. *Sanâ*
Non ego te mihi mente loqui diiudico: eò fit
Vt mihi quod vitium tribuis, tibi congruat. IOVINI. *Effers*
Ore nefas: ego nonne meæ prope limina villæ
Consisto? non certa tegunt mihi lintea corpus?
Nonne loquor? nonne hîc oculis vigilantibus assum?
Nonne colonus hero dictis illudit acerbis?

DISCLIA. *Iouiniane, probris animum grauioribus apta:*
Nam magis atque magis contemptibus ille patebit,
Qui tumidas tumido sensu conceperit auras.

IOVI. *Haud sopor est: vigilo: nec me sentẽtia fallit.*
Quidnã igitur dubito? quid me ad grauiora reseruo?
Intro. EVCLIO. *Etiamne domus postes perrumpere tentas?*

IOVINI. *Sum dominus.* EVCLIO. *Quî sic?*
IOVI. *Sum Iouinianus.* EVCLIO. *Et vnde*
Nudus? & vnde tuis famulis desertus? IOVINI. *Ii me,*
Dum lauerem, insidi mediâ sub nocte relicto,
Consutis abiere dolis. EVCLIO. *Et vestibus?* IOVINI. *An non*
Verba capis? EVCLIO. *Capio: consutis vestibus illi*
Te deserto abiere domum. IOVINI. *Non vestibus, inquam, at*

Consu-

Consutis abiere dolis. EVCLIO. *Nunc detegis ipsum*
Vlceris os: pauper subiisti Balnea, iisque
Corpore dereptas in credita symbola vestes
Pendere fortè, suo de more, coëgerit hospes.
IOVINI. *Ebrius es.* EVCLIO. *Vellem à vinis melioribus.* IOVINI. *Optas*
Helluo, quæ plenis hausisti faucibus. EVCLIO. *Vnde*
In villâ mihi vina forent, vbi siccus aquarum
Est puteus? si non vini locupletior esset
Cella tibi, vrbanisque viris, tot crimina passim
Ebriolosque hodie nunquam, mihi crede, videres.
IOVINI. *Es senio delirus.* EVCLIO. *Ego?* IOVINI. *Tu.* EVCLIO. *Amentibus istac*
In villâ est opus helleboro: vestrâ in patriâ, quid?
Helleboro mihi nil opus est: sum sanus: acuti
At nisi me fallunt oculi, & prudentia, bilis
Atra tuum cerebrum ad viuum penetrauit, eique
Ni medicas adhibere manus properaueris, æger
In furias rabiēque rues. IOVINI. *Insania præceps,*
Et mentis furiale malum tibi deripit vsum
Consilij. EVCLIO. *Vegeto, vt cernis, sum corpore: semper*
Exerras. IOVINI. *Minùs vt valeas, delire, miserque*
Sis, faciam: propriâne veter consistere villâ?
Dilaniabo meis laceros tibi dentibus artus.

 EVCLIO.

EVCLIO *Dentibus vteris, furcis ego: credis iniquum*
Certamen? belli nequeas euadere legem,
Ni tua terga fugæ nudes. IOVINI. *Etiamne colonus*
Vilis, herum cumulare probris iurauit? EVCLIO. *Abibis*
Ocyùs hinc vappa? extremum quod te alloquor hoc est:
Namque virum, cuius nomen furaris, ego ipse,
Qui vigilans nunc & sanus tua conspicor ora,
Excepi vigilans, villâque, & paupere mecum
Contentum mensâ, vigilans per amœna vireta
Deduxi, vigilans vltroque citroque profusis
Colloquijs istæc liqui prope limina. IOVINI. *Quemnam?*
EVCLIO. *Iouinianum, inquam: surdaster es auribus?* IOVINI. *Vllus*
Mortalisne, tuo quas perfide villice gerras
Ore blatis, nugasque meras intelligat? anne
Me fingas perijsse alibi, vultumue priorem
Mutasse, exuuias posuisseque corporis, instar
Serpentum? subeam tectis, & plura retexam
Argumenta, quibus dominus dignoscar. EVCLIO. *Abibis*
Postea? IOVINI. *Abibo.* EVCLIO. *Lubet: cautè exploraberis: intra.*

SCENA

SCENA QVARTA.

DISCLIA.

GRande tibi struis ipse malum: tibi verbera quæris:
Flagra tibi, vlmitriba, creas: ego te intus & extrà
Opperiar: cui namque parens Megaligorus altos
Plus æquo tumidosque animos inflauerit, ille
Nunquam hodie nostras (quamuis petat inuia) sannas
Declinare potest. Fugientes persequor: at me
Qui desiderijs animi vehementibus ambit,
Longè illum fugio: quò meque ardentior instat
Amplecti, magis hoc illi esse remotior insto:
Sic ignominiam, & fœdæ suspendia mortis
Christus amans, sic & Cephas, & Apostolus omnis,
Denique sic Fratrum pater, author, honorque Minorum
Franciscus, toto me amplexi pectore, terras
Dum colerent; nunc illati cœlestibus oris,
Et raro decore illustres, me in Auerna relegant
Exilio, prohibentque sibi ne deinde propinquem.

SCENA QVINTA.

EVCLIO, IOVINIANVS, DISCLIA.

EVCLIO.

Ecce fugit famosus: habet: bene verrimus vlmis
Eius terga: calet, nulloque laborat amictu:
Sanguineâ siquidem circumdatus vndique veste est.
Ioviniane, redi. DISCLIA. *Dux Iovinianus & heros*
Et lurco, babæ! en pœnas pro crimine fastus
Veste semel, nunc pelle luit. IOVINI. *Quid conscia coniunx?*
Quid soboles? quid tota domus? quid cætera dicet
Posteritas? caput hoc testor, rerumque Parentem,
Testor Auernales vmbras, ego tecta virumque
Ignibus inuoluam: vastâ dabo cuncta ruinâ.
Sed quid ago? DISCL. *Quid agis parasite?* IOVINI. *Domumne redibo*
Nudus? at hoc vetat instaurandi nominis exspes
Spes, prohibet patrij generis decor indecor, horret
Clara olim sed nunc ingloria gloria, famaque
Infamis: neque me tamen hic consistere nudum
Suadet honor; iam sola super vicinia lapsam
Præsentis mihi subsidij spem suscitat: illic

Nam-

Namque habitat belli ductor, pietate fideque
Insignis, quem, quòd lætis euentibus arma
Gessit, ad eximios quondam ductoris honores
Euexi, primoque gradu tituloque beaui.
Ille (si apud memores veteris stet gloria facti)
Me capiet, nudumque lubens obnubet amictu.

DISCLIA. *Vade, sequar. Nunc, ô nunquam frustrata vocatus*
Hora meos, nunc ansa vacat, quà maxima latè
Regna per æthereas infamia porrigat auras.
Namque opere in primo sum parua: at adultior altis
Conspicuum cælis tollo caput, efferor orbe,
Perque hominum patulas aures diffundor & ora.
Sic modò in angusto conclusam corpore qui me
Conspicitis, tanti vigilem in statione theatri,
Maiorem ludi repetentem hæc scenica paullùm
Intermissa, breui spectabitis affore: nostris
Vestra sit interea ludis arrecta cupido.

SCENA SEXTA.

IOVINIANVS, CLEOBVLVS dux militum, EVCLIO.

IOVINI.

VLteriùs pes ire negat, pudor abstrahit, horret
Infamem, trepidans animus conuicia, famam.

Ei! vereor, ſimili fraudum ne percitus œſtro
Nobilis hic cum ruſticulo demente, magiſtrum
Diſſimulet nouiſſe, mihique infamia creſcat
In cumulum. Verùm ecce ſuas bene turbidus ædes
Egreditur. CLEOBVLVS. *Quot ſunt numero?*
EVCLIO. *Sunt quinque.* CLEOB. *Equiteſne?*
EVCLIO. *Sunt pedites.* IOVINI. *Latus accingit meus Euclio, nequam*
Villicus. CLEOB. *hos patienter habe, & ſeptem: eſſe putaram*
Viginti: eſt tua villa potens, quæ denſius agmen
Militum alat. IOVINI. *Quænam ſeſe interſantur?* EVCL. *Eho! tu*
Reris abundantem rerum, cui vaſta locata eſt
Villa? CLEOB. *Reor.* EVCLIO. *Mirum eſt: hic inſanabilis error*
Omnibus vrbanis penè inſidet: horrea cernunt
Ampla? domos amplas? prata ampla & læta? ſine vllis
Præmiſſis mox concludunt amplam eſſe domi rem,
Cùm tamen eſt vix treſſis ibi, vix curta ſupellex:
Hinc fruſtra dolor, & lacrymæ, & querimonia, noſtro
Erumpunt ore atque oculis. At nulla ſuperſunt
Vilibus agricolis tanti ſolatia luctus.
In medios dormire dies qui creditur, ille
Quanquam etiam ſolis ſurgens præuerterit ortum,
Credetur tamen ad mediam torpeſcere lucem.
Sic quia vaſta mihi ſunt horrea & area, vaſtos
Eſſe mihi & loculos credit dux iſte: ſiniſtra

Aſt

Ast illum, vt reliquos, eludit opinio. CLEOBV. *Cautus*
Pauperiem ementire (frequens quæ norma colonis
Est, ne rara suis tendantur retia nummis.)
EVCLIO. *Sic ecce agricolà de paupere iudicat.* CLEOB. *Ora*
Comprime: namque tibi gemit area frugibus. EVCLIO. *Omnis*
Exhausta est. CLEOB. *Paullùm sermonem abrumpe: resumes*
Protinus: inuisam nam conspicor eminùs vmbram;
Monstri, hominisue fuat, non sat scio: cominùs illam
Intuar. IOVINI. *Accedunt propiùs: quid consilI? abibo?*
Stabone? adibone? sto. EVCL. *Ne perge inquirere: nota est*
Forma hominis. CLEOB. *Vidisti olim?* EVCLIO. *Virgisque cecidi.*
CLEOB. *Quippe!* EVCLIO. *Cecidi, inquam; quæque illi carnea primùm*
Terga fuere, essent ostrina, atque vlmea, feci.
CLEOB. *Vlmea! quæ fuit vlmorum illi caussa?* EVCLIO. *Quòd ædes,*
Me nolente, meas obnixè inuadere, vique
Rumpere tentaret. CLEOB. *Quorsum hæc audacia?* EVCLIO. *Quorsum?*
Ipse meum se fingit herum, ceu rura, domumque

Vendicet: immò etiam vult Iouinianus haberi.
CLEOB. *Iouinianus! Ades, mi Iouiniane.* IOVINI. *Mihine*
Compositò hic etiam opprobrijs illudere certet?
CLEOB. *Iouiniane, veni propiùs.* IOVINI. *Ludibria ferre hic*
Et præquàm antè tuli, grauiora opprobria, certum est:
Explorabo silens: nec enim retro cedere tempus.
CLEOB. *Iouiniane, meos etiam dignoscere vultus*
Dissimulas? vnde ista tegunt tibi lintea corpus?
Vestis eges? vbi sunt famuli? quid dicere mussas?
Nulla mihi responsa dabis? quin fare: pudorem
Exue: si secreta voles, secreta tenebo.
Quid metuis? tibi quanta mei fiducia quondam
Omnibus in rebus fuerit, memorare: quid hæres?
Non potero verbum extorquere? quid ora pudenter
Obtegis? aspice me: tua sum vexilla sequutus.
Agnoscisne ducem, qui te sub principe turmas
Bellantûm toties inimica per agmina victor
Egit? ego ille tuus tot iam tibi subditus annos:
Ille tot officijs tibi multùm obnoxius: ecquid
Hoc perstasque stupesque loco non motus eodem?
Delirusne, amensne siles? IOVINI. *Furor, iraque muto*
Præcipitant vocem. Quid me alta silentia, nequam,

In-

Ingrate, impie, perfide rumpere cogis? in istæc
Tanto ego te decore ornaui, conuicia! in istæc
Tot tibi nuper opes congessi, scommata: in istæc
Te tot ab officijs auxi, ludibria! nostris
Cùm tectis gressum intulero, mihi putida furcæ
Materies eris. CLEOB. *Hem! tibi sim tam commoda furcæ*
Materies! mihi tu, cælum hoc, & sidera tanti
Conscia verbi hodie testor, percommoda furcæ
Materies eris. In neruos & vincula stultum
Præcipitate caput, famuli: non sit mora, factus
Improbus, & nullis audita proteruia seclis
Morte luat. IOVINI. *Mortem intentare, trifurcifer, audes!*
Tu mortem mihi! CLEOB. *Ne segnes hærete.* MELAS Seruus. *Fugacem*
Te nostras exire manus & vincula, demens
Posse putas? HARPAX Seruus. *Nunquam tanto lætatus honore es,*
Quanto hodie, furuas dum carceris ibis in vmbras,
Iouiniane. MELAS. *Specum non incomitatus inibis,*
Sed nostrûm amborum medius: quæ gloria! HARPAX. *Cerne,*
Iouiniane, quibus quantisque vtrimque, superbo
Nobilium de more, viris stipabere. IOVINIA. *Quæ fæx!*
Qui nebulo! meque hasce manus perferre! MELAS. *Minare*

Ore

CLEOB. *Stipantur. Sed missa face hæc: contentus abito.*

EVCLIO. *Quid? contentus abito? mei ergò corporis æstus,*
Ergò anni labor, ergò meo versura magistro
Facta, quibus possem castum seruare cubile
Coniugis, & paruo paruos educere natos,
Bellaces explere gulas, farcireque ventres
Debebunt: quæ iustitia hæc? CLEOB. *Si multa ciebis*
Murmura; quæ penitus populet tua rura, cohortem
Immittam. EVCLIO. *Harpagat, evorat, vrit villica miles:*
Si querimur, questum pulsati morte piamus.
Iouinianum adeo, quæque belluo miles, & in me
In villamque suam importet dispendia, narro.

SCENA QVINTA.

HONOR COELESTIS.

QVisquis amans animam terrenæ legis amore,
Induitur fastu; non me, nec munera tantùm
Deliciasque meas perdit, sed se ipse, suamque

Infeli-

Infelicem animam, & quod eam contingit; honorem,
Diuitias, fundos, nomenque, genusque, domumque
Proÿcit, & quò quò vadat, contemptus vbique est,
Donec amans animam cœlestis legis amore,
In sese, moresque suos inquirat, & omne
Quod se, animamque suam in terrâ contingit, honorem,
Diuitias, fundos, nomenque, genusque domumque
Oderit. Hunc demum cœlo terrâque beatus
Ambit honor, quem nulla probris infamia tangit.
Contrà autem maior, maiorque infamia surgit,
Quam, licet ingenÿ quasuis admouerit artes,
Declinare nequit. Quis me conuincat? oberrans
Iouinianus erit multo cum nomine testis,
Qui quò quò se vertit, eò se Infamia vertit,
Et longè quam principio cumulatior, vllâ
Dum fastosus erit, non euitabilis arte.
Cernite quàm longâ subit in proscenia formâ.

SCENA OCTAVA.

DISCLIA, IOVINIANVS.

CVr in me Belgæ nutantia vertitis ora?
Illa ego sum, quæ iam paullò ante theatra petiui,
Iouiniani hærens maculoso Infamia tergo.
Incertos exempla magis quàm verba mouebunt:

Refle-

Reflexas oculorum acies conuertite, laruamque
Erumpentem adytis castri penetralibus, atque
Se vobis auidam tacito subducere lapsu
Cernite, mutatæque mei cognoscite caussam.
Ille, caput qui carbasco conuoluit amictu,
Indignante gradu rumpens vestigia, bellus
Iouinianus ab imperij deiectus honore,
Ob vanos animi fumos, flatusque superbos,
Tota mei caussa est, quod cernitis, incrementi.
Namque Ignominiæ maculis grauioribus horret
Quàm dudum antè. Tui, dic Iouiniane, pudoris
Et famæ, seruus quam transfuga, villicus, hospes
Prostituit, nunquid saltem miserebitur hostis?
Nil effaris: io: secum philo-nempe-sophatur:
Extemplò concludet. IOVINIA. *Agor furibundus atroci*
Turbine: sic ludi! laniari! carceris antro
Arctari! puro nutriri pane! forasque
Protrudi! atque viris à talibus! impuratis,
Vilibus, ingratis; quos gratiâ, honore, fauore,
Diuitijsque inopes auxi! quis talia fando
Non stupeat! non insanis à sensibus amens
Perfremat! Hîc si verò moras extraxero, nunquam
Effugiam, quin membra feris in pabula iactem:
Nam stimulante canes vicatim voce lacessent

In me

In me omnes. DISCLIA. *Dubitas? in te vnà animabo puellos.*

IOVINI. *Verùm omnisne exhausta salus? ego linquere inausum*
Nil potui, infelix; ego memet ad omnia verti
Auxilia, incassum: non est medicina pudori
Vlla super: quando ergò nihil succurrit egeno
Quod valeam implorare, domus repetenda: sed illic
In cumulum congesta suis me Infamia sannis
Obruet: esto, mori mediæ in penetralibus aulæ,
Dedecorum offusus maculanti aspergine, malim;
Iniuris populi quàm prætereuntis inuri
Scommatibus, lentâque mori malè morte. Pudorem
Exue, Iouiniane: iubet res vltima: caussas
Nequidquam mordax Infamia nectet inanes.
Ibo, domum, passu quamuis trepidante, reuertam.

DISCLIA. *Ibo tibi post terga comes: tibi larua, sequaxque*
Omnibus vmbra locis adero: nam lauta parantur
Fercula, dapsilibusque famem solabere linguis.
Discite stultitiam, stulti, contemnere: vanum
Discite fastosi deponere pectore fastum.
Sin, crudos vestrorum operum decerpere fructus,
Quorum vos acidus grauiter tentabit amaror
Et satias, vt diua canunt oracla, necessum est.
Porrò superbificos animos quæ gratia, quæ frux
Excipiat, subiecta oculis hæc scenica monstrant:
Namque videtis vti tumidos Infamia probris
Interimat, quouisque loco vetet esse quietos.

ACTVS

ACTVS TERTIVS.

SCENA PRIMA.

IOVINIANVS, LEPTOSECLES.

IOVINI.

EN mea iam tandem contingo palatia, multis
Corporis, & famæ superatis casibus: ædes
Ocyùs ingrediar, vigilique indagine quæram
Quis famulos inter, vestem mihi clepserit, ecquis
Prima ministerij nequam insidique recessus
Caußa, meæ laudi opprobrium indelebile, certâ
Non sine peste domus (nec enim reparabile damnum est)
Attulerit. Quisquis fuerit mihi criminis author,
In furcam elatus, scelus hoc infame pudendâ
Morte luet. Feriam ergo fores: aperite.

SCENA SECVNDA.

IOVINIANVS, LEPTOSECLES, DISCLIA.

QVis illic
Pro foribus? IOVINI. *Mora nulla, aperi.* LEPTO. *Cunctare.* IOVINI.
Reclude

Ocyùs. LEPT. *Expecta.* IOVI. *Me etiam expectare iubebis!*

Eia, ego sum. LEPT. *Quid vis? ego sum.* IOVIN. *Sic proloquor, inquam.*

DISCLIA. *Euge, superbifici flatus memor esto, seueri*

Esto supercilij memor, & fastidij, vt æger

Et satur opprobrijs animus non concidat: istìc

Namque, tibi si est mica salis, spectabis, vt inter

Sex odiosa Deo sit torua superbia princeps.

IOVINI. *Cur tantas hic ferre moras me, furcifer, vrges?*

LEPTO. *Anne furis, qui nostra nouo teris ostia pulsu?*

IOVINI. *Leptosecles.* LEPT. *Ita: Leptosecles: sic nuncupor: an me*

Esse mei reputas oblitum nominis? erras:

Quid petis? IOVINI. *Hem! scelerate: etiam quid herus petat, audes*

Poscere? LEPT. *Posco iterum: tanto, fatue, impete rumpis*

Ostia, vt emotos auellas cardine postes.

Quid, stolide, aspectas toruum? quid vis tibi? quis tu?

DISCLIA. *Iouiniane, vides, vbi dira superbia sedem*

Fixit, ibi pariter fundare sedilia fœtam

Opprobrijs ignominiam? Ne dêinde superbi.

IOVI. *Verbero, flagrorũq; seges, stabulũq; malorum,*

Quis-

Quiſnam ego ſim, rogitas? hodie te feruere flagris,
Per caput hoc iuro, faciam: citò clauſa reclude
Oſtia: Leptoſecles. LEPTO. *Quid Leptoſecles?* IOVINI. *Igitur me*
Non dignoſti? LEPTO. *Equidem ſcio te agnoſcoque moleſtum,*
Qui tanti à me litigium mercare. IOVINI. *Quis ergò*
Sum tibi? LEPTO. *Quis? potor, vel iniquior ambulo.* IOVINI. *iniquum*
Non erit huic pugno pondus: nam verbere iuſto
Promeritis hodie tundére. LEPTO. *Aperire cauebo.*
IOVINI. *Leptoſecles.* LEPTO. *Sum Leptoſecles: non falleris.* IOVINI. *Iſto*
Mox aliam, miſer, in formam mutabere pugno.
LEPTO. *Iſte homo ſe accingit fruſtra, vt me interpolet: illi*
Non reſerabo fores. IOVINI. *Niſi te exoſſauero.* LEPT. *Mirum eſt*
Hic ſi me quaſi murenam exoſſare minutim
Cogitet. IOVINI. *O! mihi quàm geſtit iam ad verbera pugnus!*
LEPT. *Si pugnum explorare voles, priùs obſecro, vt illum*
In murum explorare velis. IOVINI. *Tene hiſcere! tutò*
Verna ſuas in mille cruces & verbera fundit

Verba loquax. Aperiſne ſceleſte? LEPTO. *Sceleſtior.* IOVINI. *Audis?*

LEPT. *Neſcio quis loquitur.* IOVINI. *Neſcis? certo eſt mihi nomen*

Iouinianus: ego, quem heſternâ nocte lauantem

Subducto inſidi malè deſeruiſtis amictu

Tuque, tuique gulæ inſtudio, furtoque ſequaces.

LEPT. *Ementiris: herum ad thermas duxique, reduxique*

Incolumem, vt famulum decuit: te verò nec audI,

Nec vidi: neque ſeruitio tuus eſſe fatebor,

Ni pugnis fortaſſe tuum me feceris vſu,

Quod, ſpero, non eueniet. IOVINI. *Cuinam ergò miniſtras*

Improbe? LEPT. *Iouiniano.* IOVINI. *Vbi is eſt?* LEPT. *Vbi! in ædibus.* IOVI. *Ecquem*

Eſſe putas illum ſi qui ſit in ædibus? LEPT. *Ecquem!*

Iouinianum, inquam. IOVINI. *Quem Iouinianum ais?* LEPTO. *Illum*

Iouinianum, inquam, cui fidus ſeruio fidum

Seruitium: decies vin' me mea dicere dicta?

Non ſatis hæc planè? ſatis hæc reſponſa diſertè?

IOVINI. *Ille ego ſum, quem mentito diſcernere viſu &*

Voce negas: tuus hîc ego Iouinianus, & alter

Nullus. LEPTO. *Ais verò? tu Iouinianus! heruſque*

Es meus! egregium commentum: inſanus es; illud

Proloqueris, quod nemo vnquam poſt condita vidit

Secula,

Secula, quod ratione vllâ contingere non quit.
Nam, fierine potest vt homo idem, tempore eodem
Insideat perstetue locis simul ipse duobus?
IOVINI. *Quod genus est hominis? quâ formâ est corporis?* LEPT. *Aha!*
Hoc vitium insanis perquàm est commune, vt ÿ-met
Cùm sint insani, insanos furialiter omnes
Esse putent. Voti mox factus compos abibit,
Credo, meas neque calce fores pugnisue lacesset.
Audi, insane: petis quis Iouinianus? eum ipsum
Depingam tibi, vt abscedas: est corpore longo,
Crine niger, ruber ore, oculo cilioque superbo
Subniger, oblongâ barbâ, quæ plurima mento est,
Aureus, in famulos contentâ voce. IOVINI. *Figura*
Est mihi persimilis. LEPTO. *Tibi te peperisse parem, fors*
Credibile est. IOVINI. *Iterum obgannis? tibi stipite dentes*
Perfringam. LEPTO. *Caueas.* IOVINI. *Apinas, verbose, relinque:*
Pande fores. LEPT. *Cui?* IOVI. *Iouiniano, inquam.* LEPT. *Ille suâ, inquam,*
Intus honoratâ concors cum coniuge prandet.
IOVINI. *Vidisti?* LEPT. *Vidi, inquam, illum.* IOVINI. *Fortasse per vmbram*
In somnis. LEPTO. *Immò vigilans in luce: iocari*

Mene putas? IOVINI. *Formam ergò meam, nomenque, genusque*

Perdiderim peregrè rediens? LEPTO. *Formamue, genusue*

Aut nomen peregrè rediens amiseris, ad me

Nil spectat: cautus seruasse fideliter istæc

Debueras: meus intus herus cum coniuge prandet.

IOVINI. *Atteſtare fidem: non ſum tuus?* LEPT. *Aduena?* IOVI. *Herus.* LEPT. *Non.*

He! quoties te haud noſſe negem? nego, pernego, non es.

IOVINI. *Et prandere meâ externum cum coniuge dicis?*

LEPT. *Non externum, inquam, ſed herum.* IOVINI. *Quin, ſum tuus iſtic*

Ante fores herus: es cæcus? non ſtare vides me?

Non ſum Iouinianus ego? non impero toti

Imperio? non ſum, te iudice, corpore longo,

Crine niger, ruber ore, oculo cilioque ſuperbo

Subniger, oblongâ barbâ, quæ plurima mento eſt,

Aureus, in famulos contentâ voce? nec vſque huc

Somnum edormiſti? quin expergiſcere? LEPTO. *Quid me*

Obtundis? ſi pergis, herum tibi ſiſtere certum eſt:

Idque tuo, mihi crede, malo. IOVINI. *Illum, furcifer, opto*

Acciri. LEPTO. *Properè accibo: tibi, vt eminus abſtes*

Conſulo, Iouiniane, parum ne humaniter, atque

Vrbanè, veniens tibi Iouinianus, acerbo
Iouinianum epulo accipiat. IOVINI. *Demente stupore*
Obrigeo: neque iudicio, neque sensibus vti
Me sinit hoc rerum monstrum. Quid suspicer? oris
Antiqui notam speciem mihi balnea fortè
Mutarint? Fierine potest? non credo: meas non
Mutauere comas, non os, barbæque colorem,
Non cilium, vocisque sonum: quidnam ergò? aliquemne
Sortilegum magicas rear excantasse per artes.
Meque domusque meæ famulos, proceresque, colonosque?
Hoc reor, hoc metuo: nam cur me agnosse negarent?
DISCLIA. *Iouiniane, mali labem non cernis: acu rem*
Non tangis: mihi si dociles admoueris aures,
Et faciles animos; recto te tramite ducam
Ad fontem, vnde fluit princeps tibi caussa pudendi
Opprobrij: silet: attendit, docilemque videtur
Se dare: res istoc versatur cardine, raptos
Vt variè mundi per inania nubila sensus
Colligat imprimis, purumque expendat ad vnguem
Quas ferat ærumnas, quàm portentosa malorum
Agmina, dedecoresque notas ob crimina portet
Discolus: inde modum vitæ melioris inire
Concipiat. Sensim sic Iouinianus ab æuo
Anteriore, probri caussas indagine quærit:
Sed malè: quod frustra vestigat scire, docebo.

Iouiniane, diem Domini meministin' ? in æde
Cùm sacrâ exciperes sublimibus auribus odam
Magnificat, *neque grata tibi immoderatiùs altis*
Auribus acciderent verba hæc : De sede potentes
Deposuit; *mediâ voluisti protinus odâ*
Versiculum malè gratum animo sine lege superbo
Eradi: neque enim cælo terrâque putasti
Esse Deum, qui surrectos ad sidera fastus
Deprimeret violente manu. Quid feceris olim,
In memores reuoca sensus: hæc illius ergò
Nunc in te insignis miserando infamia casu
Inuolat, vt cæcus videas, animumque superbum
Deponas, Numenque timens, tua sceptra retractes.
IOVINI. *Vnde malum deriuet, adhuc non cerno. Sed ecce*
Alter ego, similisque mei vultuque comâque
Iouinianus. Ego certè sum ipsissimus: ouum
Non tam ouo, neque lac lacti simile esse putarim,
Namque ego me in speculo vidi. Sed ei obuius ibo.
Quippe aliquis (nec enim dubium est) effascinat error
Illorumque meosque oculos. Præstigiæ Auerni
Hic sedes & robur habent, nihil ambigo. Verùm
Sisto volens nolensque gradum, contentiùs omnem
Vt circumspiciam venientis imaginem, eumque
Multiplici coràm allatâ ratione refutem.

SCENA

SCENA TERTIA.

GENIVS Custos Tutelaris, IOVINIANVS, PANEGYRIS Iouiniani vxor, FILII, FAMVLI.

GENIVS.

MEne igitur thalami consorte, opibusque, domoque,
Nomineque, & veteri formâ nouus exuat hospes
Iouinianus! LEPTO. *Ita est: talem se prædicat: immò*
Non semel ærato munitos obice postes
Rumpere contento certauit robore. GENIVS. *Mõstra*
Antiquis neque visa priùs neque credita seclis
Serue refers: videamus, vbi est? LEPTO. *Ecce histrio, ventrem*
Irritans, dentesque acuens, quòd prandia fortè
Præcipiat, telâ succinctus inãbulat. GENIVS. *Illum*
Alloquar. FILIVS PRIOR. *Iste parens sit noster?* POSTERIOR FILIVS. *Eum esse faterer?*
Diuitiore scio genitum me patre. PRIOR. *Facessat*
Iste parens. POSTERIOR. *Pannosa viri præsentis imago*
Non placet. GENIVS. *Heus hospes, mihi vera edisſere: quæ te*
Exagitant intemperiæ? cur improbus hasce
Calce feris pugnoque fores? quâ fronte procellas

Turbarum, streperosque audes attollere motus?
Quâ nos fronte grauas? quâ fronte domestica rumpis
Otia? IOVINIA. *Tu, quâ fronte meas ego solus herusque*
Et pater incussare fores violentior ausim,
Ingressumque domus per fasque nefasque negatum
Pertentem, petis! Et contrà: veterator, adulter,
Leno, venenatâ curruca magister in arte,
Quæ tibi, quænam effrons audacia venit, in ædes
Coniugiumque meum & natos inuadere, meque
Aeternis ignominijs inuoluere, toto
Dum stabit mundo incolumis me patre creata
Posteritas? age, dic, es Iouinianus? GENIVS. *Ain' te?*
IOVINI. *Aio.* GENIVS. *Me esse negas?* IOVINI. *Nego: pernego: signa requiris?*
Hoc ipsum vnanimi popularis turba loquetur
Consensu: hoc vulgi proceres: hoc tota loquetur
Nobilitas: nec me quisquam talem esse negabit:
Circumfusa mihi testis vicinia: testes
Sunt famuli, nisi mentitâ fraudemque scelusque
Fronte tegant: testis soboles carissima. FIL. PRIOR. *Nostrûm*
Tene patrem nunquam visum fateamur? POSTER. FIL. *Ineptis:*
Nos tua dum mendax præsumis pignora. IOVINI. *Testis*
Vxor erit, quâ cum, serâ pro stirpe nepotum,
Viginti annorum decursis mensibus orbes
Coniu-

Coniugio expleui. PANÆGYRIS. *Tua sim, impurissime, coniux!*
Hancne mihi adsperges labem! tu fœdera mecum
Vlla maritalis thalami sociaueris! vnquam
Sim tibi visa! tibi quæ testarentur amores
Verba, amens, dederim! nutusue, aut certa iugalis
Signa thori, priuata inter commercia vitæ
Monstrarim! pannoso ego sim coniuncta marito!
Ne posthac falso me appella nomine: votis
Sum diuersa tuis: alios quæras hymenæos.
IOVI. *Me tibi coniugij exsortem malefida negabis!*
Pernotum thalami tu fœdus adultera rumpas!
Non venit in mentem, tenebras ducentibus astris
Nos abijsse domo, læsis vt amara dolorum
Corporibus, tristesque animis, dispellere curas
Integrum foret? PANEGYR. *Ipse mei concepta mariti*
Audieras, vel quò tantum tibi nomen, honoremque
Ambires, caperesque dolis fallentibus, intra
Tecta domus cæcâ obscurus sub nocte latebas
In tenebris. IOVINI. *Vanum, mendacemque improba fingis*
In thalamo, rebusque tuis, rebusque tuorum,
Militiæ, atque togæ toties experta fidelem!
Sic periura fidem pactam, & connubia seruas!
Externumque foues casto pro coniuge, furtim
Tutus vt obscœnam illicitâ ratione, modoque
In Veneremque ignemque ruas! PANÆGY. *Ita sordidus aures*

Infici-

Inficies castas! etiamne audaciter ore
Cœnoso, me iura mei violasse pudoris
I*nsimulas! Quæ tanta tibi est patientia, coniux?*
Quæ tam lenta noui te criminis vltio tarda?
Nunquid iniusta mihi tangit te iniuria? nunquid
Si violare fidem, aut mea iura resoluere dicar,
Coniugij communis honos, infractaque cedet
Fama loco, stupri pro suspicione? IOVINI. *Tenaxne*
Dissimulas? audi: fidam tibi fabor ad aurem,
Et veteres signabo notas, quibus omnia vero
Quæ-iam-cunque hausi de pectore verba, probabis,
Meque thorum in proprium violataq; iura repones.
PANEGY. *Non equidem, licet apta dolis, audire grauabor.*
GENIVS. *Sitne tuus, quod ait consors vxorius, vxor*
Explores moneo trutinâ prudente. FILIVS PRIOR. *Quid hoc est?*
Ecce viri se nostra parens adiungit ad aurem.
FIL. POSTER. *Accedit fortasse viro illusura.* IOVINI. *Mariti*
Indubitata tui capis argumenta? FILI. PRIOR. *Stupescit*
En genitrix. POSTER. FIL. *Stulti miratur verba.* PANEGY. *Renarrat*
Mira inter thalamos & sacra iugalia, nulli
Mortali comperta, olim quæ diximus ambo.
Nec potuit rescire, nisi secreta cubilis
Vel tacitum limen pernox insederit. IOVIN. *Ecquid*
Nunc

Nunc euicta rubes? nondum pudor ora colorat?
PANEG. *Obstupeo in dictis. Te credo, marite, iugalis*
Verba thori, quæ nos inter secretiùs ambo
Miscuimus, reserasse illi. GENIVS. *Nil tale putaui,*
Nec fas, non: ita iura thori Deus integra seruet.
PANEG. *At tamen iste mihi sermo nouus attonat aures,*
Nilque vltra quod versem animi interiore recessu
Occurrit, vereor ne nostra veneficus hospes
Nitatur magico turbare palatia cantu.
GENIVS. *Quid tibi confusam mentem rapit? ecquid inhæres*
Credula sublime affectanti nomen, auosque
Illustres? cur sic oculos incognita turbat
Ignoti noua forma viri, miserandaque cultu?
Iudicio decerne tuo, num me tibi Roma
Externum tulit, aut vincli fideique iugalis
Exsortem? PANEG. *Meus es, fateor, neque in altera veni*
Fœdera: nec dubios oculos mihi vellicat horror,
Sed magis attonitam sermo mirabilis icit.
GENIVS. *Nil ego, quod stupeas, quodue emireris in istoc*
Monstro hominis, video: quid enim mirabile, si quis
Quæ fuerint præfata diu, vel dæmonis ore
Nouerit, aut magicâ dubiè coniectet ab arte?

PANEG.

PANÆG. *Aut fortasse aliquis famulorum ex ordine, cæcis*
Parietibus latitans, dum nos loqueremur, eidem
Exaudita viro retulit. GENIVS. *Non damno tui ista*
Commenta ingenij, fieri quæ posse fatebor.
At quando famulos sit contestatus, eorum
Iudicium, testesque tuo de coniuge voces
Hac mediâ in caueâ, populoque, audire iuuabit.
Quæ vestris animis, famuli, sententia surgit,
Dicite: nota viri vobis est forma? FAMVLI. *Neque illum*
Nouimus, ignotum neque vidimus hactenus: vnum
Te multis sequimur, colimus, veneramur ab annis.
GENIVS. *Vos verò, soboles, vestræ dulcissima matris*
Pignora, nostis eum, qui se vestrum esse parentem
Prædicat? FILII DVO. *Est delirus, eum neque nouimus antè,*
Non alium, præ te, scimus volumusque parentem.
PANÆGY. *Insignes tumefacta sui fiducia pœnas*
Exigit, estque nefas culpam hanc nisi morte piari.
GENIVS. *Cùm tantos igitur malesuada superbia fumos*
Egerat, infelix, rerumque oblite tuarum
Iouiniane, vt auos tumido mentitus honore,
Elatisque animis indebita nomina poscas;

De-

Deprimet inflatos infamia publica fastus.
Arripite audacem, famuli, caudæque reuinctum
Fortis equi, raptate Vrbis per compita. Laudi
Inconcessæ animis plus æquo impensior, istâ
Lege luat: vitâ pendat commissa, cauete.
STASIMVS. *Non opus hîc aliquo est velo, neque remige: promptos*
Namque sequi tua iussa petit meritissima tantum
Caussa probrum. IOVINI. *Quàm indigna pati compellor iniquis*
A famulis, vxore, domo, nudatus amictu,
Nudatusque opibus, nudatus honore! quasique
Sint leuia hæc, pars ne qua mei miserabilis exsors
Dedecoris vacet; en toti sim fabula vulgo, hic
Improbus imperat vt per singula compita rapter
Vilis equi caudæ innexus. Si coniugem, & ædes,
Imperiumque, trifur, & opes clepis, at mihi saltem
Quicquid id est famæ illæsa pro tempore serua,
Nec me ignominiam in tantam modò conÿce, parco
Cætera, quando aliter nequeo. GENIVS. *Decreta subibis*
Dedecora, ob tantos elato in pectore fastus
Conceptos: ecquid resides ad iussa ministri
Hæretis? cursu fugientes alite culpas
Rarò deseruit claudo pede pæna: superbos
At Deus à tergo insequitur, meritóque flagellat.

SCENA

SCENA QVARTA.

EVSEBIVS EREMITA.

DVm, miserate Deus miserorum incommoda, mecum
Sedulus ac prudens animo interiore voluto
Omnia quæ vili cineri mihi munera confers;
Vix est certa fides vitæ: sic bruta stupore
Membra rigent: adeóque animus magis externatur,
Quò magis expendo quàm me violentibus hamis
Nescio quâ præter solitum dulcedine cæli
Nuper inescatum, monstris cùm ambita marinis
Præda procelloso in fallacis gurgite mundi
Luderem, adhamaris, vitæque ad littus & auras
Aetheris extractum turbâ secreueris: vt iam
Securus pelagi propè, defunctusque periclo
Mortali (nisi me mundana resorbeat vnda
Oblitum cæli atque mei) contingere possim
(Quà fœcunda tamen stabit tua gratia) ad æuum
Immortale. Nec hoc stupeam pro munere! Quanti
Nunc summo in fluctu pendent, mundique supremo
Præcipites ab honore ruunt, & ad ima feruntur
Inferni loca! Quot Virtutis imagine captos

In bre-

In breuia & syrtes vrget peruersa cupido!
Quot rabido vortex iræ vorat æquore! quantos
Auri sacra fames, atque implacata charybdis
Absorbet! quot Sirenum cantu vnda dehiscens
Terram inter fluctus aperit! quantos Caro Circe
Ex hominum facie in vultus ac terga ferarum
Induit! heu quantos vinum furiale per orbem
Opprimit, extinguit, delet, necat, obruit, haurit!
Quàm rari apparent nantes in gurgite vasto,
Qui se à naufragio seruent, mersisque superstent!
Hinc varium humani generis pro crimine casum,
Et mortem Ezechiel sollers prædicere (cuius
Ante oculos, interque manus oracula verso)
Cernit ab infesto senos Aquilone profectos
Crispato mucrone viros, quos percitus irâ
Horribili Deus in Solymam dare funera mittit,
Nec quemquam vult eximium, nisi fronte notatos
Tau, quod vir medius niueis accinctus inurit.
At quia non sunt hæc satis intellecta, iuuabit
Altiùs abstrusum meditando extundere sensum.

SCENA QVINTA.

EZECHIEL, ARCHIGETES, ELEEGRAPHVS, HECATONTARCHVS, PROTAGOGIVS, PROMACHVS, ANTHERETVS, EPIBATES, GROSPHOMACHVS.

EZECHIEL.

Qvanta mihi ſeſe verâ ſub imagine monſtra
Oſtentant! nec enim ſopor eſt, neque ſomnia ſenſum
Ludificant. Sex cerno viros Aquilonis ab orbe
Spirantes raptis immanè ſecuribus, horridam
In dextrâ vibratam aciem, læuâque tenentes
Aeterni vaſa interitus, altare petentes
Aeneum. Et illorum medius micat vnus amictu
Carbaſeo, accinctuſq; latus graphiaria. Quidnã hæc
Monſtra volunt? quorſum tendant oſtenta, videbo.
ARCHI. *Ezechiel monſtris perculſe recentibus, audi:*
Solicito curas adimam tibi, teque docebo
Quid veniant, poſcantque viri ſeptem ordine viſi.
Conſcius es, penituſque memor, quas impia propter
A populo commiſſa meo tot crimina, tanto
Tempore, tam patiens, fuerim ſuccenſus in iras,
Quaſque minas ego miſcuerim terroribus: ecce
Nunc miſeranda dies, & ineluctabile tempus

Exitij,

Exitij, & cladis, populoque vrbique propinquat:
Ecce manu dirâ quisque exitiale tenet vas
Interitus: iamque ecce parat defundere, quando
Annuero. Pronâ bibe cætera pronior aure
Interiore, animoque loca quæ quemque iubebo.

EZECHI. *En sua cuique Dei ad nutum est arrecta cupido:*
In mandata futura iuuat contendere sensus.

EVSEB. *Hæc labyrinthæis implexa ambagibus, impar*
Fatidico fortaſſe ori, non aſſequor. ARCHI. *Affer*
Te propiùs mihi, qui niueo velaris amictu.

EVSEB. *Qui vocat, est Deus? anne vicarius illius ales*
Angelus? ELEE. *Ecce tuo veni parere paratus*
Imperio. ARCHI. *Disrumpe moras velocior omnes*
Ac transi, mediamque seca pede protinus Vrbem,
Tauque manu signum nunquam delebile forma
Frontibus illorum, qui se lacrymante dolore
Discruciant pro multiplici, quo mundus inundat,
Crimine, sintque illi securi à funeris ense.

ELEE. *Pareo: nullus erit lugentûm ex ordine, signo*
Quin mihi conspicuo, calamoque beante notetur.

EZECHI. *O dulces lacrymas! ô terque quaterque beata*
Lamenta, & gemitus, quos propria culpa dolendo

 Exprimit,

Exprimit, atq; hominem tam dirâ à clade reseruat.
Hæc satis interfata: alios quæ dêinde iubebit,
Audio. ARCHI. *Vos huius vestigia ponè sequuti,*
Per medios vrbis vicos transcurrite: sæuam
Diro impacati stragem committere ferro,
Vestri oculi sint indociles ignoscere: nulla
Sit penitùs, nulla impuræ miseratio turbæ.
Sternite cæde senes tremulos ætate, virosque
Florentes æui, & iuuenes pubentibus annis,
Impubesque genis demergite funere: vestra
Hasta puellarem in costas bibat acta cruorem,
Matronasque suo cum fœtu ad pectora presso
Tollite: totam imâ ab radice euellite stirpem:
Nulla scelestorum maneant vestigia: tantùm
Vt pereant quos Tau signabit fronte, cauete.
Atque mei nunc à templi penetralibus atrox
Quod iubeo exitium funesta exordia sumat.
Ite, meam purgate domum per cædis aceruos
Ingentes. SEX SIMVL. *Imus, ruimus, prosternimus, irâ*
Tela, faces, mortes per singula corpora iussi
Spargimus: effugium nullum, miseratio nulla est:
Sunt tantùm immunes quos Tau discriminat. EZECHI. *Heu! heu!*
Heu! Deus ergò repentè omnes disperderis Israël
Relliquias, supereffundens flammata furoris
Tela tui in Solymam! ARCHI. *Cogunt ingentia Iudæ*

Atque

Atque Isrâel in me commissa piacula: cogit
Sanguine quæ insonti spumās natat vndique terra:
Cogit & Vrbs à me ad vanas conuersa figuras.
Namque (aiunt) non sunt Domino mortalia curæ,
Nec terrena oculis despectat facta. Docebo
Ergò illos, quantæ mihi sint mortalia curæ,
Numne meo facta in terris obeam omnia visu,
Ostendam: nulli certum est ignoscere. EZECHI.
Papæ!

SCENA SEXTA.

EVSEBIVS EREMITA.

N*Vnc, diuina fuit quæ gratia, pleniùs hausi*
Sensibus hæc tanti perplexa oracula vatis:
Nempe Deus quia terribiles exercuit iras
In Solymam, senos furibundo ad bellica reges
Impete flagitia vltores exsuscitat: horum
At medius niueâ qui incedit veste, minister
Angelus est custos vigil assertorque gementûm
Crimina, diuinæ violataque fœdera legis.
Hic prior externo verborum è cortice surgit
Sensus: at in penitâ oracli monstrique figurâ
Alter ab hoc (nisi fallor) inest abstrusior: illum
Scrutari, quà lenta sinunt animi otia, pergo.

SCENA SEPTIMA.

DISCLIA, IOVINIANVS, EVSEBIVS.

DISCLIA.

QVi plausus! quis honor! quæ lux! quæ gloria! quæ laus!
Qui splendor! quæ pompa hodie est delata superbo
Iouiniano! intus vix se capit ipse triumphis,
En graditur quasi rex: meritóque: per vrbica quippe
Compita regificè fuso circum vndique vulgo
Tractus equo est: acclamantûm non sibila linguæ,
Complosæque manus, non rhinocerotia naris,
Coniectusque fimus, non saxea grando, lutumque
Defuit. Hoc tantùm: non est inuectus, adinstar
Nobilium, rhedâ: quia saxa vicaria rhedæ
Pressit humi nitens. Mirum est si tincta cruento
Dorsa vacent ostro: pateat tua purpura plebi,
Iouiniane. Neque his placet ostentare? sequaces
Fortè tui, famulosque status, & honoris habebis.
Nonne hodie insignem ludum noua ludia lusi?
Ast effœta meis ne protinus artibus, isto
Cogar abire loco, patriumque reuisere limen,
Per metuo: vanâque vtinam formidine ludar.
Sed nota subtenuis, quæ iam prænuncia facti

Est

Est oculis oblata meis, facit omine læuo
Coniectem, dubioque sagax interprete monstra
Augurer. En solito paulatim abeunte tumore
Iouinianus, inops rerum, noua pectore versat
Consilia, atque oculum ad tacitā conuersus eremum
Dirigit: impediam. IOVINI. *Vix interclusa pudore*
Infami vox à summo mihi gutture tandem
Laxatur: Consanguineis irrisus, amicisque
Omnibus, extremum supplex tentabo subire
Confugium: haud procul hinc vastæ grandæuus eremi
Cultor agit, primis vitæ mihi notus ab annis:
Hunc adeo: huic casusque meos, fraudesque meorum
Explico. DISCLIA. *Non ignominiæ deformis abundè est?*
Vis tibi ludibrij cumulum superaddere? certa
Accersis vitæ dispendia. IOVINI. *Sit mihi in ipso*
Limine mors: breuior iusto sit vita, necessum est.
Ibo: nihil summum iam dedecus incrementi
Accipiet. Tergo mors incubat? incubet, oro.
Quis procul ille autem trunco insidet exsternatus?
Hiccine quem recto gressu votisque petebam?
Est: fessos, nisi ludor, ei sopor alligat artus.
Voce soporatum pulsuque ciente lacessam.
DISCLIA. *Ille ignominiâ pariter te & voce lacesset.*
IOVINI. *Heus bone vir, bone vir.* EVSEB. *Quis mentis hic otia rumpit?*

IOVI. *Iouinianus.* EVSEB. *Ain'? quantùm mutatus ab illo es*
Iouiniano, olim quem vidi effulgere multâ
Gloriâ! ego, fictâ nisi ludor imagine frontis
Quæ te dira tegit, mihi ne insidiere pauesco.

IOVINI. *Nil paueas: nec enim vlla subest tibi causa pauoris.*

EVSEB. *Latro videris, & immani sicarius ore.*

IOVINI. *Latro putor tibi, & immani sicarius ore!*

DISCLIA. *Iouiniane, etiam est tua nota infamia siluis.*

IOVINI. *Oblitusne mei es? non es memor antè frequenti*
Hosce canum toties me indagine cingere saltus,
Et timidum cursu leporem, & fallentibus aprum
Excipere insidijs, cursuque calente peracto
Sæpe tuum tenui congestum cespite culmen
Frigoris atque vmbræ caussâ succedere? EVSEB. *Nunquam*
Te vidisse, vel alloquio excepisse recordor.

DISCLIA. *Es tantùm infamis famoso nomine notus.*

IOVINI. *Dicam equidem: (neque vana putes me fingere) nuper*
Vix, vt me lauerem introgresso balnea, iussis
Cunctari ad limen famulis, breuis hora lauando
Exierat, cùm me satias accepit: amictum

Postu-

Postulo: voce voco famulos: nil venit ad aures
Responsi: reor hos isse ad Bacchanal: inanis
A me. fit mora dum redeant, si fortè redirent.
Non redeunt: frustror: surgo: vestem ipse requiro:
Subductam video: mox hospes & hospita fortè
Exciti adueniunt: subitò me nomine furis
Aedibus aspellunt nudum: intempesta silebat
Nox: priùs ergo dies quàm nudum aperiret, amicos
Deuinctosque mihi officijs inuiso: negant me
Nosse, immò opprobrijs, virgis, & carcere nudum
Excipiunt: pudor hîc, furor hîc miscentur in vnum.
Quid facerem? nudum in medijs tabescere vicis
Fama vetabat, & ire domum reuocabar, honesto
Ne maculas ego coniugio sobolique tulissem:
Euicit tamen obstantem vis dura pudorem.
Inde, eo: pulso fores: excludor ab ædibus: amens
Credor, & à famulo illudor: me pernegat esse
Iouinianum: alium esse domi cum coniuge dictat
Iouinianum: illum acciri peto: prouolat: accit:
Aduenit ille mihi similis propè qualiter ouum
Ouo, lac lacti: raptâ velut, horreo, formâ:
Ille, quid aduenia m, qui sim, deposcit; ego, inquam,
Iouinianus, herusque domus: ille obstat: ego insto:
Compositò mihi dissimulans obnititur vxor:
Nil illi argumenta valent: me mordicus omnes,
Abiurant famuli; ad summamq; infamiam equinæ
Implicitum caudæ per singula compita raptant.

Hæc summa est. EVSEB. *Mihi crede, aliquis latet error.* IOVI. *In ædes*
Inuasiße magum credo: nam quid potiùs? EVSEB. *Quid?*
Fortè Deum vitijs in iustam accenderis iram,
Occulto quam iudicio iam exercet: obedi
Consilijs, tibi quæ sanctißima suggero: turbâ
Depositâ, motuque animi, quem suscitat ira
Pro tantis ignominijs, quæ iam inde suborta
Sunt tibi, secreti nemoris seceßibus, omnes
Perscrutare sinus cordis; cæcosque recessus:
Teque Dei accendisse iras fortasse videbis.
Nonne aliquando tui te magna potentia regni
Extulit impensè sublimiùs? IOVINI. *Extulit olim,*
Nunc memini: maius neque Numen in orbe putaui,
Quod mihi de manibus sceptrum, de vertice, regni
Eriperet diadema. EVSEB. *Graui te crimine vinctum*
Obstrictumque puta, si quando admiseris istos
Sublimes animi fastus. IOVINI. *Feciße recordor:*
Pronusque in fastum facilè exsignauero. Tantæ
Fac verò vt magnis animis me obstrinxero culpæ;
Desperemne ideo? nec sint medicamina pesti?
EVSEB. *Si patiere, tuo est præsens medicina dolori.*
IOVINI. *Si patiar! patior, vehementer & ardeo.*
EVSEB. *Dixi:*

I scru-

Iscrutare sinus animi, mentisque latebras:
Quotquot & in memores commissa piacula sensus
Incurrent, multis lacrymis confessus aperto
Ore, sacerdotis patulas infunde per aures.
IOVINI. *Est opus hîc sano mihi directore.* EVSEB. *Lubebit*
Quæ monstrabo sequi? non me labor iste grauabit.
IOVINI. *Duc, hortare, iube: sequar, exsequar omnia.* EVSEB. *Mecum*
Hos pete secessus. IOVINI. *Peto: dux mihi dirige gressum.*

SCENA OCTAVA.

DISCLIA.

NVnc mea regna labant: nunc omnis adempta facultas
Ludibrij: variare vicem statione relictâ
Est opus: exegi proprias Infamia partes:
Hinc iam venturo deuicta propellar honori
Cedere: cede Deo: nulla est discordia contrà.
Sensim abeo: sensim decresco: loquacia sensim
Verba cadunt: sensim vis corporis eneruatur.
Si ruo, caussa meæ, silicernius iste, ruinæ est:
Namque humilis nisi fastosæ confessio culpæ
Obluctata foret, nullâ expugnabilis arte
Quamlibet aduersam vim contra incussa manerem.

Nunc

Nunc posito fastu, nolimue, velimue, vicißim
Ipse, triumphatâ me, Iouinianus in vrbem,
Coniugio totâque domo plaudente, reuertet.
Tantùm adeò lætis, animi demißio mutat
Tristia, & opprobrium decori, atque infamiam honori.
En cui hyems nudos paullò antè gelauerat artus,
Illum amicit pendens humeris chlamys atra. Potestas
Iam pedibus linguæque meæ est incisa: videbo
Eminùs euentum: neque st, gry, muque profabor.

SCENA NONA.

EVSEBIVS, IOVINIANVS.

EVSEB.

Iouiniane, tuis tua te confeßio culpis
Eluit ad purum: superat pars altera curæ,
Cum gemitu meritas fastoso à corpore pœnas
Poscere, turgentes animans dum vita per artus
Sese agitabit, vt humanis imperuia linguis,
Sensibus intentata, animis incredita, culpis
Omnibus, & leuibus maculis instructa furentes
Per flammas tormenta queas exire. IOVINI. *Superbum*
Castigare scelus decerno: sed indolet istac
Dedecoris nota, in æternum quæ tempus inusta est

Splendori

Splendori generique meo. EVSEB. *Dolor omnis abesto:*
Namque tuo derasâ animo iam supplice fastus
Immodici maculâ, posthac infamia, fumus
Vt leuis, in tenues raptim extenuabitur auras.
Contrà autem raro te lumine circumfusum,
Et palmâ insignem, insignem diademate, cælis
Lapsus honos omni terræ spectante theatro
Induet. Eia, animis hæc Ezechialia monstra
Contemplator, & ad proprias animabere pœnas
Perfacilis. IOVINIA. *Mecum vis me hæc euoluere?* EVSEB. *Tecum.*
Interea hac de parte preces votiuaque cælo
Dona feram, Deus vt valido te robore firmet.

SCENA DECIMA.

ELEEGRAPHVS, IOVINIANVS.

ELEEGRA.

NOn doleam? non multa gemam? non conquerar orbem
Ecce obij, prudensque tuli mea lumina circùm,
Vt tanto scelerum in numero, medioque nocentûm,
Insontes veréque pios, quos tabidus angor
Solicitos, quos cura grauis, quos mæror haberet,
Quos crebri quaterent aliena ob crimina planctus,
Conspi-

Conspicerem, Tauque insignes in fronte notarem;
At vix vlla datur tales reperire facultas:
Tam rara illorum est interlucetque corona.
IOVI. *Hiccine, cui vestis niuea est, cui cingula bullis*
Auratis, cuius lateri graphiaria pendent,
Ore refert Verbum Patris omnipotentis? ELEEG.
Et inter
Tot peccatores pauci qui crimina plangunt
Ex animo: pauci persperſi puluere: pauci
Horrescunt sacco: pauci rea pectora pulsant:
Pauci in aquâ, in panis frusto ieiunia seruant:
Qui madeant lacrymis, pauci: qui morte propinquâ
Pallescant, pauci: qui meque meumque retractent
Iudicium, pauci: qui stagna gelantia & ignes
Inferni trepident, pauci: qui cœlica prensent
Gaudia, & æternos vitæ immortalis honores,
Perpauci, miserorum hominũ in mortemq; ruentûm
Permiseret. Si Iuda olim Isrâelque parentum
Degeneres coluêre Deos ad terrea versi,
Cùm pius Ezechiel vidit me ad flumina Chobar
Hoc habitu, vt mœstas aliena ob crimina frontes
Tau signarem; erat illorum tolerabilis error:
At verò Belgis, quibus vndantissima pleno
Vbere virtutum diuarum gratia venit
Morte meâ; quæ iusta satis purgatio culpæ
Prætexi poterit? pereant, vel morte secundâ
Et primâ, quoscunque suo pro crimine mœror
Non tangit. IOVINI. *Certè hic, niueus quem*
obnubit amictus,

Per

Perspicua malè ni contemplor imagine, signat
Omnipotens Verbum Patris omnipotentis, aperto
Quod lapsum in terram cœlo, se virgine, purâ
Candentiq; hominum in precium carne induit: ille
Plangentes animas, tabescentesque dolore,
Ob mala quæ toto miseri committimus orbe,
Ritè suâ insignies cruce, morte, cruore, flagellis
Eximit, æternâque hilaros à morte reseruat.
Hoc miror tamen, anne mori omnes denique fas est,
Aeternumque mori, quos nil aliena mouebit
Culpa? mori, æternũque mori, vt coniecto, necesse est.
Hoc equidem reor, hæc vatis portendere monstra.
Hic stupeo: si namque mori omnes denique fas est
Aeternumque mori, quos nil aliena mouebit
Culpa; quot hos mortes, æternandæque manebunt,
Propria quos nil culpa mouet? Lacus inferus alto
Quicquid habet fundo pœnarũ, hos, credo, nocentes
Exercebit, eòque magis, quò densius agmen
Noxarum est: si namque focis flãmantibus vrit
Vna superbifici concepta agitatio sensus
Luciferũ: quot me inferni, quot flagra, quot vmbræ
Quotque renascentes flammæ sine fine modoque
Excipient amburendum, qui turgidus æuum,
Quàm longum fuit, exegi? qui noxius, vllo
Nec numero, nec lege, Dei venerabile Numen
Actibus accendi in iustas furialiter iras?
Securusque mei in tanto torpescere casu
Audeo! protraxisse moras vacat: acribus atrox
In mea me posthac vertam lanianda flagellis

Terga diu (res si qua diu mortalibus vlla est)
Momentum æterno est potius: iuuat ergò doloris
Hoc breue momentum æterno præferre dolori.
ELEEG. *Quàm te, Iouiniane, lubens exaudio! priscos*
Tu mihi mœrores gemitusque aspellis, eamque
Lætitiam tua tam felix conuersio gignit,
Quam nonaginta iusti: antè ferociter artus
Quàm ferias, spectata tuæ mea symbola fronti
Insculpam. Innumeris pereuntûm è millibus vnus
Horrendam celebri clarandus honore ruinam
Effugies: hodie nunquam te vltricia tangent
Tela, quibus, Sol antè ferat quàm crastinus orbi
Triste iubar, millenæ animæ sternentur: inibis
Imperium cæleste, animam cùm halaueris. IOVINI. *Istæc*
Christe tuæ pugnanda volens dico prælia laudi.
Qualiacumque feram, placido precor accipe vultu,
Placatusque, mei miserere: flagella remitte
Quæ tumido merui fastu: me namque superbo
Te, cælumque animo piget offendisse, pudetque.
Nunc memini, cùm ingrata meo immoderatiùs alto
Acciderent animo verba hæc: De ſede potentes
Depoſuit; *sacrâ mandaui protinus odâ*
Versiculum iniucundum animo sine more superbo
Eradi: neque enim cœlis terrisque putaram
Esse Deum, qui deprimeret turgentia sensu
Pectora: Iusta tua hîc nosco, iustissime Iudex,
Iudicia: omnis iners & nulla infamia, cùi me

Hacte-

Hactenus emeritum voluisti exponere, nulla est,
Præquàm ignominiâ, quæ post miserabile mundi
Excidium, damnata truci, te Iudice, flammæ
Inuoluet capita. Ergò illam ne incurrere propter
Fastum, adigar; ne parce probris, ne parce pudendo
Dedecori: veteris tantùm obliuiscere culpæ,
Quâ putris intumui cinis, & sine nomine puluis.
Ista superbifici sint prima piacula fastus.

SCENA VNDECIMA.

DISCLIA, HONOR COELESTIS, ELEEGRAPHVS, IOVINIANVS.

DISCLIA.

OH! lanians, furibunde, tuos immaniter artus,
Me lanias: cessa: oh! cessa: quid perfuris? oh! quàm
Me torques! oh! quæ tax tax mea terga flagellant!
Arceor, effugor, aspellor, disterminor, exeo.

ELEEG. *Huc Cælestis Honos, olim indignate superbum*
Iouinianum, ades huc: reditum ne differ, adorna
Illi habilem gemmâ non marcescente coronam:
Antiquos illi, duplicatâ laude, per orbem,
Per cælum instaura titulos, illustre brauium.

Victrices illi, non sit mora, porrige palmas:
Porge triumphales obito certamine vestes.
Ista decent humiles animos decora alta. HONOR. *Paraui*
Omnia, quæ signent vitæ cœlestis honorem,
Symbola. Quem nuper præfracta superbia longè
Dispulit, en tumidi, pulsâ caligine motus,
Nunc animus, prudensque sui, supplexque, repulsâ
Fœdâ ignominiâ, reuocat, stimulatque reuerti.
IOVINI. *Quanta meos, o! in sensus, vt sentio, sensim*
Irrepit dulcedo! flagrum si tanta voluptas
Excipit hac in valle, quid in cœli arce futurum est!
HONOR. *In [illegible] omnis gemitus, lacrymæ, mærorque, dolorque*
Exsulat: o! quæ illo, quàm lucida gaudia regno
Exundant! IOVINIA. *Geminabo cruces, elata retundam*
Pectora: Crux, quæ tot mercatur gaudia, felix!
HONOR. *Quæ-tu-cumque hauris animo, sunt tenuia, præ illis*
Quæ Deus in cælorum adytis tenet abdita, nunquam
Mentibus humanis, oculisue, aut auribus hausta.

SCE-

SCENA DVODECIMA.

IOVINIANVS, HECATONTARCHVS, PROTAGOGIVS, PROMACHVS, ANTHERETVS, EPIBATES, GROSPHOMACHVS.

IOVINI.

NVnc repeto intermissa, oculosque per omnia voluo
Monstra, meæ quæ dux vitæ, motumque magister
Contemplanda dedit. HECATON. *Eia: quæ cælita mecum*
Iussa sequi volucres animæ decurritis orbem,
Ingentem passim interitum stragemque minantes,
Dum semel intepuit mucro, ne parcite. PROTAG. *Stragi*
Parcemus! nec multo homines à crimine parcent!
Non ita: namque etsi nusquam memorabile nomen
Sæuitiæ est, ab eâque Deus miserator abhorret;
Extinxisse nefas tamen, & sumpsisse merentes
De brutis animis pœnas, est gloria: namque hoc
Iustitiæ & virtutis opus. PROMA. *Quid? feruere mundum*
Flagitijs, terrasque omnes graueolente veneno
Infici, in æthereosque luem & contagia tractus

 Grassa-

Grassari magis atque magis, patiemur inulti!
ANTHER. *Bacchatum vitio satis est: patientia læsa*
Fit furor: eneruis tandem miseratio languet,
Gliscentesque nequit nostros inhibere furores,
Imperiosa super fremit ira: necare, secare,
Sternere, perdere, peruastare, abolere iubemur.
PROMA. *Nulli hominum nisi signato ignouisse vetamur.*
PROTAGO. *Quæ verò? quæ tanta animis audacia contrà*
Surgeret? EPIB. *Aduenit iustum dare funera tempus:*
Parendum est: quis enim latum decederet vnguem
A diuo imperio? vas illætabile tristis
Interitus vltrice manu quod gesto, minatur
Sontibus instantem cladem, exitiumque. GROSPHO. *Securim*
Exacui: in truncos certum est librare lacerto
Adducto: iam dira fremens in vulnera gestit.
Quæ miseras animas inter non saucia quibit
Exactam hanc exire aciem? mors omnibus instat.
HECAT. *Tot cœli ornamenta, solique emblemata, tantas*
Diuitias maris & momenta, tot ætheris auras
Vitales, Deus in vanos concesserit vsus!
PROTA. *Atque vtinam in vanos tantùm: verùm omnia in orbis*
Autorem generi humano cæca arma ministrant.

PROM.

PROM. *O furor!* PROT. *O caligo!* ANT. *O nox!*
EPIB. *O pectus, & excors,*
Et fatuum! GROSP. *O stupidi sensus!* HEC. *O dira libido!*
PROM. *O tardum ingenium!* PROT. *O mens amens!* ANTH. *O chaos!* EPI. *O cor*
Insanum! GROSP. *O præceps ratio!* HEC. *O incauta futuri*
Consilia! ANTHER. *O animi exanimes!* EPIB. *O barda hominum gens,*
Brutaque! HECAT. *damnosis adeò mortalia noxis*
Corda capi, æternos vt se dementer in ignes
Proÿciant! GROSPHO. *O facte alios homo pauper in vsus,*
Vsque adeone mori libitum est? HECAT. *At sera querelis*
Hora; monet diuos, mora nulla, capessere iussus,
Quando summa dies, & ineuitabile tempus
Fligitÿs positura modum venere. PROTA. *Quid! ergò*
Tot factæ summo decori, cælique beandæ
Sedibus olim animæ, in barathrum irremeabile, fumos
Vndantesque vomens admisto sulphure flammas,
Præcipitent! PROM. *Ergò precium tam nobile, Christi*
Sanguis, & infami cruce quam confixus obit, mors

 Fine

Fine suo frustrata, nihil, pereuntibus illis,
Profuerint! ANTH. *Nullo fletu reparabile damnum est.*
HECA. *Quid facias? æqui sic fert extrema volūtas*
Iudicis: hoc nostri iubet illacrymabile Regis
Imperium. Quemcumque suo damnauerit ore,
Nemo illum chalybæo etiam seruauerit ense.
Eia, datum peragamus iter, cœptæque ruinæ
Et stragi properè instemus. EPIB. *Trux hauriat ensis*
Quicquid erit vitij reliquum. GROSP. *Ne sim reses, vnus*
Hic mihi, mucronique meo debetur: in illum
Perferor. HECAT. *Intentas iras modò sustine: in illo*
Nil tibi, mucronique tuo debetur: inustum
Nonne vides Tau fronti: aliò conuerte furoris
Vas, aciemque tuam: hic nobis intactus abito:
Nam gemitu, flagrisque suis, planctuque fauorem,
Gratiam, opemque Dei sibi conciliauit, amoremque,
Aeternum quondam decus indepturus, & æuum
Immortale. EPIB. *Sed è tantis vix millibus vnum*
Esse, cui squallente gemat frons mœsta dolore
Culparum, quem commisso pro crimine verè
Pœniteat! quos non ingens stupor attonet? IOVINI. *O me*
Felicem, modico gemitu, tenuique dolore
Si possim æterni gemitus euadere pestem!

HECA-

HECA. *Cætera pernici mecum decurrite paßu*
Oppida, & in reprobum diſtringite tela cruorem.
PROT. *Vnus hic!* PROM. *Vnicus.* ANTH. *Vnus!* EPIB. *Abit noſtram vnicus iram.*
GROSP. *Noſtra hic vaſa abijt tantis è millibus vnus.*

SCENA DECIMA TERTIA.

IOVINIANVS, EVSEBIVS.

IOVINI.

Qui iterumque, iterumque meos ſtridente flagello
Elatos affligo animos, faſtumque retundo?
EVSEB. *An pia Iouinianus agat lamenta, reuiſo:*
Namque omnem mentis nubem, quæ obducta ſuperbo
Antè illi viſus hebetabat, & humida circùm
Caligabat, inops viliſque infamia longè
Diſpulit, erroreſque ſuos, ciliumque remiſit.
En verò in ſua terga furit crudeliter. Illum
Verberibus (nam terga rubent) vt temperet hortor.
Quid facit admiſſi per faſtum erroris aperta
Cognitio? quantis mors horribiliſsima, Iudex
Sæuus & æternanda vorax per ſecula fornax
Inferni, vnde ſalus nulla, vnde redemptio nulla eſt,

Percellunt, quatiuntque pauoribus, exsternantque
Elatos animos! quámque in contraria vertunt!
Qui catus ac prudens hæc exploraret ad vnguem,
Sæuior ille suos, quàm Iouinianus, in artus
Perfureret, neque se æternos seruaret in ignes.
Pœnarum exhaustum satis est pro tempore: flagris,
Iouiniane, modum finemque impone. IOVINI.
Quid! vllus
Non fuit in fastu finisue modusue; leuique
Hoc erit in flagro finisue modusue? sit exlex
Et modus & finis tormento invindice, vt exlex
Et modus & finis fuit in truci & impote fastu.
EVSEB. Longus adhuc vitæ circus tibi restat: eundum est
Non interrupto, fractoue per ardua passu,
Sed firmo, sed continuo pede: namque viator
Prima viæ malè præcipitans vestigia, fœde
Cespitat, extremamque nequit contingere metam
Roboris effœtus, sublimis anhelitu, & æger
Poplitis. Ingressum vitæ percurrere circum
Quo pede cœpisti, sat erit. Iam denique rectà
Perge domum. IOVIN. Pergam! EVSEB. Perge, inquam, perge, nec vlla
Dedecoris te cura coquat. IOVINI. Sed ab ædibus omnis
Fors iterum ignotum me turba domestica pellet.
EVSEB. Nulla, inquam, vllius te solicitudo fatiget:

Fide

Fide Deo: tantùm, ne prisci obliuia fastus
Extinguant memori meritos in mente dolores,
Prospice: quod cautim vt caueas, quandoque procacem
In carnem & fastum intermissa resume flagella.
Vade, vale, caue ne titubes, consultaque serua.
IOVINI. *Vado valens; cauo ne titubem, consultaque seruo.*
Si patrias voti remeauero compos ad ædes,
Nulla tui officij memorem me obliuia carpent.
EVSEB. *Ergo vale.* IOVINI. *Vale: meque tuâ prece promoue.* EVSEB. *Anhelus*
Ardet ad indomitæ carnis fera bella, suique
Contemptum. Quæ diuinæ mutatio dextræ!
Quámque potens Deus, vt subitò improuisus honestet
Pauperem, & augusto virtutum opulentet amictu!
Ecquis in has bonus exsuuias de rege superbo
Inferni, flectens oculos, non totus inundet
Lætitiâ, plaususque hilares ad sidera tollat?
Ecquis in has malus exsuuias de rege superbo
Inferni, flectens oculos, non frendeat irâ, &
Tristitiâ, ruditusque graues ad sidera tollat?
Nunc abeo, tantoque paro pro munere gratus
Auctori cœptorum operum persoluere grates.

SCENA DECIMA QVARTA.

BLEFERO, ALBERTA, IOVINIANVS.

BLEFERO.

QVò te, Alberta, pedes? ALBERTA. Empturam obsonia. BLEFE. Semper
Irrequieta foras procurris. ALBER. Egone quieta
Atque ignaua domi residens, tibi prandia, cunctisque
Hospitibus possum obsonare? BLEFE. Tenacibus hamis
Est hamanda domi, validisque liganda catenis
Fœmina, si volet hanc ædes seruare maritus.
Sic illi stare indocilis, viuoque perunctus
Sulphure pes prurit. ALBERTA. Pes non tibi prurit, vbi orto
Manè scyphos hauris, vt gurges, ad vsque cadentem
Hesperum, adhærescens mensis, & pocula siccans.
BLEFERO. Si pacem obseruare voles, prior ipse taceto:
Namque locutuleum genus est, & litis abundans
Fœmina. ALBERTA. Cuncta viro liceant: nil fœminæ. BLEFERO. Inermis
Fœmina se linguâ, lacrymis, vlulatibus armet:
Muta virum constansque armet prudentia. ALBERTA. Paullum,

Blefe-

Blefero, dum redeo, cunctare, atque ostia serua:
Iam redeo. BLEFERO. *Iam! non solitum tibi: iam istud, emendo,*
Stando, salutando, agnatas ad quatuor horas
Extrahet. ALBER. *Obuiat huc mihi Iouinianus: ad ædes*
Fortè meas caussâ hospitij diuertet: vt estque
Blefero contemptor quæstus, hebes, & malè semper
Moratus, proceresque viri capiuntur honore;
Cùm meritum sibi non deferri cernet honorem
Iouinianus, ab hospitio fortasse reflectet.
Ne faciat, redeo, præsensque in tempus omitto
Quæ tentare viam impulerant obsonia. IOVINI. *Nonne est*
Illa, suis quæ me aspulit ædibus, hospita? certè est.
Quid reprimit properata retrò vestigia? viso
Me, fortè vltrices pœnas expauit: adibo,
Dissimulabo, explorabo, auscultabo, videbo
Num me nôrit, & erubeat. ALBERTA. *Citò Blefero: certum est:*
Iouinianus adest. BLEFERO. *Atque incomitatus?* ALBERTA. *Ab agro*
Vicino fortasse redit de more: propinquat:
Vina celer deprome penu: testudinis instar
Progrederis: citò ne differ, sin, defluet. BLEFERO. *Esto:*
Defluat: effluere hunc malim, quàm nostra profundo
Vina penu. ALBERTA. *Tardo leuis est malè iuncta marito*

Fœmina

Fæmina: coniugium tamen hoc quodcunque ferendum est.

Iouinianus adest: illi obuio: non placet istic,
Iouiniane, Italûm magne Indoperator, ad horam,
Immodicam sedare sitim, sedare calores?
Sunt generosa penu mihi vina. Marite, propinquat,
Hausta manu celeri mera, fac leuiore ministres
Illa gradu. BLEFERO. *Leuiore gradu deferre nequirem,*
Ni sim ales volucris. ALBERTA. *Lubet hoc gustare falernum?*
IOVINI. *Non lubet: vlla sitis non me premit.* ALBERTA. *Obsecro: saltem*
Vt sapiat tantùm attingas tenus ore. IOVI. *Vocat me*
Quæ modò solicitis premitur mea regia curis.
BLEFERO. *Ecce merum frustra prompsi: pensabo laborem:*
Ipse bibam. ALBERTA. *Quid? tu barathrum, vinique vorago,*
Omnia, nil parcens gnatis, velut helluo, fundes
Sesquipede extantem in ventrem? BLEF. *Mihi proficit haustum.*
ALBER. *Quò? nisi vt exta laues, atque ilia putida?* BLEF. *Inhausti*
Qui fructus tibi? quæ momenta? quis vsus? acescet.

SCE-

SCENA DECIMA QVINTA.

IOVINIANVS, EVCLIO, CLEOBVLVS.

IOVINIANVS.

Obstupeo in casu hoc: nil hospes & hospita vultu
Erubuere, nec offensi metuere furores
Cæsaris, iniecto nuper pro verbere, proque
Opprobrijs, quibus in thermis me nocte profundâ
Indigno accepere modo: fortasse per vmbram
Ora mea, & vultum non agnouere. Docebit
Exitus, extremumque viæ, num opprobria, quasque
Fatales ignominias infamis adiui,
Prætereuntûm animo deleta tenace, remissi
Facta supercilij & fastus confessio prorsus
Obruerit, veniamque Deus concesserit. EVCLIO. *Ecce*
Propria chirographo quæ Iouinianus iussit
Symbola: vult omni me viuere milite censuque
Immunem. IOVINI. *Hic iterum Cleobulus, & Euclio iunctim*
Occurrunt. CLEOB. *Vis ergò casas & peruia ventis*
Tecta, tuus pluuias durans & frigora miles
Triticeo sine pane habitet? EVCLIO. *Panem ergo reposcit*

Triti-

Triticeum miles! mihi vix dant hordea panem.
CLEOB. *Incaßum mihi tot caussas prætendis: ego ipse*
Indoperatorem super hac re affabor. IOVINI. *Ad illos*
Ire, pudor prohibet: satius diuertere. EVCLIO. *Longam*
Ecce viam incidit tibi Iouinianus, aperto
Progrediens campo. CLEOB. *Percommodus.* IOVINI. *Instat vterque*
In tergum: rursumne mihi per scommata vimque
Insultare parant? quorsum vestigia tendant,
Obseruabo. CLEOB. *Italos inter clarissime famâ*
Iouiniane, tuus belli per acuta, per imbres,
Per morbos, per egestates, afflictus & haustus
Miles in impluuio, nudoque sub ætheris axe
Vis iaceat? IOVINIANVS. *Non.* CLEOB. *Ecce tamen plebs villica, durum*
Stirpe genus, contrà insurgit. IOVINI. *Quidnam audio! contrà!*
CLEOB. *Contrà, inquam; siquidem nulli tua castra sequuto*
Hospitium patet, in villâ nisi paupere; villâ
Diuitiore omnis miles discluditur. IOVINI. *Istud*
Dedecet. CLEOB. *Impugnare tuum nos verò vetamur*
Chirographum. IOVIN. *Meane ergò tenes chirogra-*

grapha? CLEOB. *Non sunt*
Ista tuâ signata manu? IOVINI. *Cum corpore, formâ,*
Nomine, honore, opibusque meis, quicumque domi iam
Desidet, ipse characteres, normamque, manumque,
Assuetasque mihi graphiariâ in arte figuras
Deripuit: super hoc monstroso audaceque facto
Hoc iterum emiror, priscam neque digero sortem.
Quicquid id est, non humano contingere posse
Ingenio reor id facinus, magicasue per artes.
Numinis hoc cælestis opus, vindexque flagellum est.
Sed mirantem animum placido simulauero vultu,
Ne renouata suas antiqua infamia sannas
Integret. Hæc, Cleobule, meus quæ supplice voto
Flagitat Euclio, sunt seruanda tenaciter: illum
Namque volo solui damnoso à milite. Bellum
Non geritur, miseris veniant vt damna colonis,
Sed vitijs: quid opus villas & rura grauare,
Si decreta sibi capiat stipendia miles?
CLEOB. *Non capit.* IOVINI. *Admonear, medicabor: abito: caue sis*
Vlla tuus ferat agricolis dispendia miles.
CLEOB. *Vlla meus ferat agricolis dispẽdia miles*
Vt caueam! nequeo: est infrenis bellua miles.
EVCLIO. *Quæ non damna subit rege imprudente misellus*
Agricola! IOVIN. *Immemores Cleobulus & Euclio probri*

Illati

Illati mihi, nil os mutauere, quasique
Non mihi, at ignoto sit facta iniuria, regem
Pronus vterque suũ antiquo veneratus honore est.
Cætera conuenientne, domum cùm intraro, videbo.

SCENA DECIMA SEXTA.

GENIVS, PANÆGYRIS, IOVINIANVS.

GENIVS.

HInc famuli paullùm secedite: si qua requiret
Res vestrum auxilium; celeres mihi voce vocati,
Festino pede morigeri, cursuque volate.
IOVINI. *Ecce sed ante fores vxor spatiatur, & ille*
Alter ego. Quò te? quò, Iouiniane, pudoris
Dedecorisque tui oblitum tam audaciter infers?
Visne recrudescat tibi fœda infamia? visne
Lora tuum rursus tundant & verbera tergum?
Ohe! caue, retroque gradum cum voce reflecte.
Quid loquor? aut vbi sum? quæ vis? quis turbo? quis æstus?
Quæue procella meum iacit in diuersa, rapitque
Vndantem curis animum? quæ incredula mentem
Demutat, vertitque fides? nonne antè iacentem
Erexit? nonne eneruum firmauit eremi
Cultor? & à notis infamia probra timenti,
Fide Deo, dixit? quin fido, animumque labantem
Sustineo? cur hîc trepidus, pauefactus, inaudax
Cũctor? eo fidẽs animi. PANÆG. *Mihi nuperus ille*
Ioui-

Iouinianus adhuc rationi oculiſque recurrit,
Nec valet elabi memori de mente, ſuperbos
Ob ſenſus. GENIVS. *Meritas luit ipſa ſuperbia pœnas:*
Nunquam etenim impunita manet. Nam quiſquis inultus
Hinc abyt, pœnas Inferni in carcere ſoluit.
IOVINI. *Compellabo virum, & blando ſermone: feroci*
Nam lenes animi crebrò irritantur. PANÆG. *Oberrat*
Eminus haud tibi diſsimilis, vultuque, grauique
Inceſſu, & toto propè corpore, nobilis heros.
Neſcio quid præter ſolitum præſaga ſiniſtræ
Feliciſue rei mens præcipit: omnia magno
Intus circumfuſa mihi præcordia motu
Turbantur: ne quid tanta hæc turbatio læuum
Portendat, vereor. GENIVS. *Nil ſit formidinis: huius*
Scilicet extemplò tantæ quæ cauſſa procellæ
Sit tibi, perdiſces: conſpectum heroa ſalute
Impertire placet? PANÆG. *Tibi morigerata, tuoque*
Nunquam antehac lateri diuulſa, ſalute negarem
Impertire virum, quem fronte benignior ipſe
Impertire paras? GENIVS. *Mi Iouiniane.* PANÆG. *Quid inquis?*
IOVINI. *Quæ mutata viro mutato ex ore cadit vox?*
GENIVS *Iouiniane, Deo peramate, reponere priſcum*

Lœtus in imperium. PANÆGY. *Res me hæc incognita turbat.*

IOVI. *Non ignominiâ tantùm cecidi exstrenatus,*
Quantùm hac voce. GENIVS. *Tibi reduci tua redditur vxor*
Illibata. PANÆGY. *Mihi defecta stupore labat mens.*

IOVINI. *Entheor.* GENIVS. *Ecce tibi domus, & penus integra, opesque*
Restituuntur: habes totâ quod mente petisti.
Cùm locus hic omni penitus vacet arbitro, ad vnguē
Accipe pœnarum opprobrijque infamis, & omnis
Exilij, quod longa dies te expendere vidit,
Caussam omnē: Simul ac tua magna potētia, fastum
Conciperes, biberesque animis obliuia cœli
Atque tui, fecit, nec te reuocare potestas
Esset, ego, tibi quem vitæ morumque magistrum
Nascenti genium sub prima crepundia, magnus
Mundi author dedit, hac ratione, viâque, perennis
Funeris immunem decora ad cœlestia traxi
Per tutum virtutis iter. Mihi tanta salutis
Cura tuæ est & amor. Caue deînde superbia sensus
Inflet, honoratumque Deum prece supplice, grato
Pectore, summissoque animo venerare, tuumque
Percole quem diuina dedit tibi gratia fidum
Custodem genium. IOVINI. *Stupidis vox faucibus hæret.*

PANÆGY. *Eloquar? an sileam?* IOVINI. *fastosus homuncio tantæ*

Sit curæ

Sit curæ cœli eximijs primatibus! PANÆG. *O rem*
Attonitos rapientẽ animos! IOVINI. *O inania, cæca,*
Bruta fero, tardo, stupido, ratione carenti
Iumento aßimilata hominum gens! PANÆGY.
Inclyte coniux
Iouiniane, meis tenebris, erroribus, iræ
Atque ignominiæ & probris infamibus, omni
Quæ populo spectante, meo pro nomine, fœdè
Paßus es, ignosce: ignara, inculpabilis, insons
Exegi hoc quicquid commissum est criminis: autor
Dux, & caussa fui, fateor, verùm inscia, verùm
Imprudens, initique obseruantißima tecum
Fœderis, & iunctæ per vincla iugalia dextræ.
Scis quàm olim valido castoque adamatus amore,
Semper inoffenso fueris mihi cultus honore.
IOVINI. *Te nihil incuso, coniux, quemquamue meorum:*
Nam proprio ipse mihi immodico peperi omnia fastu
Opprobria; ipse mihi acciui tumefactus honore hanc
Perniciem; ipse fui mihi fons & origo malorum:
Ipse animo sensuque Deum in mea damna superbus
Accendi: video errorem, agnoscoque. Superbos
A tergo sequitur Deus. In grauiora paratus
Dedecora, infamesque notas me dedo benigni
Iudicis arbitrio: tundat me hîc, dissecet, vrat,
Vt mihi in æternum parcat: iam, spero, cauebo
Vlla supercilium mihi deinde potentia tollat,
Ingratusque Deo tanto pro munere viuam.

SCENA DECIMA SEPTIMA.

MEGALEGORVS.

IMmò deinde Deo, tanto pro munere, viuas
Ingratus, faciã: nec posthac, spero, cauebis,
Quin tumidos iterum sensus tibi corporis inflet,
Atque supercilium in sublime superbia tollat,
Cùm te in opes veteres, thalamique prioris amores
Ac desperati regni diadema repostum
Videris: inducam tibi tunc obliuia cæli
Atque tui, dum te sublimiùs efferat olim
Quàm tulerat fastus: nec enim sublata secundis
In rebus seruare modum mortalia possunt
Pectora: tantùm adeò magis ac magis altiùs ire
Contendunt, quia magnificos ea fecit in vsus
Omnipotens mundi Numen: mirumque videri
Non debet, si terrestres hic spiritus aurâ
Improbiore animos rapiat: nam Lucifer inter
Aethereos proceres princeps (quo patre creatus
Glorior, ad summos cæli contendit honores
Aspirare, licet frustra: quo autore superbi
Ingentes tollunt animos, diuinaque prensant
Nomina, quæ rursum paruo pòst tempore, spero,
Iouinianus vt attentet, labor impendetur.

SCE-

SCENA DECIMA OCTAVA.

IOVINIANVS, PANÆGYRIS, LEPTOSECLES.

IOVINIANVS.

LEptosecles. LEPT. *Adsto.* IOVIN. *Cantores protinus acci.*

LEPT. *Accio.* IOVIN. *Ne subeant ingratam obliuia mentem*

Non expectati cælo mihi muneris, vna

Oda Deo cantata volo mihi ventilet aures,

Et memorẽ refricet sensũ. PANÆG. *Maiora reposcit*

Diuinâ collata manu tibi gratia. LEPT. *Proni*

Iussa sequi tua cantores sunt ante palatI

Vestibulũ, Cæsar. IOVI. *Dic ingrediantur. Inertem*

Cantores auferte moram, gratumque potenti

Chroma Deo, vocum lætis concentibus auras

Qui valeant mulcere, date: est iustissima cantus

Lætifici mihi caussa: melos lætabile mensa

Excipiet: vestræ harmonicæ ne parcite voci.

A cantu. *Apta mihi est, & grata Deo vestra oda, mereturque,*

Vt promisi, epulum: superest accumbere mensis

Dapsilibus. Sudum sequitur post nubila cælum.

EPILOGVS.

HActenus, ô BelgI lectissima pectora tractus,

Spectastis lepidis oculis, vultuque sereno, vt

Iouinianus honoris, opum rumoris, auorum,
Bellorumque potens diuinam incenderit iram
Ore superbifico, tumidoque in pectore motu,
Vnde ignominiæ flagrumque iugumque subiuit.
At verò numquid leuis hæc infamia? numquid
Ludus erit, ludoque minor collata futuræ,
Cùm Deus arbitrium dicet reprobisque probisque?
Quanta ignominia! ô! quanta ô infamia! sontes
Excipiet toto mundi spectante theatro,
Cùm nudi ante Deum, nudi ante beata piorum
Agmina, quæ numero circum infinita probabunt
Iudicium, nudi ante oculos, atque ora parentum,
Hostium, amicorum, sociorum, dæmonum, apertis
Sordibus, illuuie, vlceribus, taboque fluenti:
Circùm infelices animas, & lurida, tetra,
Pestifera, horrenda, atra, informia, olentia fœdè
Corpora, sub pedibus iustorum in luce coruscá
Fulgentum, trepidâ pauidi formidine, mortis
Aeternæ horrescent non euitabile fulmen!
Ecce venit Deus, ecce Deus, Deus ecce propinquat:
State viri: dormire nefas: vt namque silenti
Fur de nocte, aderit. Felix qui protinus illud
Prouidus in tempus sua vestimenta fideli
Cautelâ seruare potest, ne fortè patescat
Pus scelerum, & fœda illuuies, sordesque. Valete.

Gloria Deo, peccatoribus venia, & iustis amplior gratia.

FINIS.